

trius avitisque nova & peregrina sacra susciperet. Ex hisce percipuum fit, quomodo Regulus Cangoximanus affectus fuerit erga Christianam religionem. Xaverius reliqua ita proponit p. 216. Vertente anno, cum oppidi Dominum nostræ religionis amplificationi omnino adversari videremus, constituimus alio demigrare. Itaque neophytos valere iussimus, qui pro suo erga nos amore singulari, flentes, maximasque nobis agentes gratias, quod tanto labore nostro, æternæ salutis iter eis monstravisset, ægrè admodum nostrum discessum tulerunt. Reliquimus apud eos Paulum eorum civem, eundemque Christianum egregium, qui neophytos Christianis præceptis expoliret. Inde nos in aliud oppidum (Firandum, ubi appulerant naves Lusitanorum mercatorum) profectos Dynasta perhumaniter excepit. Ubi dies aliquot commorati, Christo adjunximus ferè centum. Nemo tamen nostrum Japonicè sciebat, nihilo secius Semijaponico isto volumine recitando & sermonibus ad populum habendis, eorum complures ad Christi cultum traducebamus (quæ secunda fuit Ecclesia.) Cosmo Turriano his neophytis præsidere iussit, ego cum Joanne Fernando Amangucium, Regis (ut captus est Japoniorum) sanè opulenti sedem contendimus. Hic plurimos offendimus tum è plebe tum è nobilitate Christianæ legis cognoscendæ percupidos. Itaque cum optimum factu statuissemus, in competitis ac triviis bis in die concionari, nostri illius libri capita pronuntiantes, de Christi religione verba faciebamus ad populum, Dynastæ etiam nonnulli domum suam nos invitabant, ut commodius de nostra religione cognoscerent: atque ultro pollicebantur, eam se, suâ meliorem si censuissent, sine ulla dubitatione suscepturos. Ac multi nostros sermones de lege divina sanè libenter audiebant: alii contra iniquis ferebant animis: ultro etiam, quæ dicebantur, irridebant. Ergo quoties per urbis vias ibamus, toties nos magna puerorum atque infimæ fecis multitudo irridens, atque eludens ejusmodi vocibus prosequatur: En qui divinam nos legem, ut salvi simus, suscipere jubent! En qui plus unâ uxore habere nefas esse prædicant! Consimili modo reliqua nostræ religionis capita inculcabant per ludum ac jocum. Dies jam aliquot posueramus in hoc concionatorio munere, cum Regis, qui tum in urbe erat, accersitu ad eum venimus. Percontanti, unde tamen essemus? cur in Japoniam venissemus? respondimus, nos Europæos esse, eò missos divinæ legis prædicandæ gratiâ: quippe cum nemo, quin Deum, ejusque filium Jesum Christum omnium gentium vindicem ac salvatorem castè pièque coleret, salvus atque incolumis esse posset (ideo initio hujus capituli diximus, Jesuitas primo ingressu simplicem tantum & salvificam veram Fidem Christianam proposuisse.) Tum ille divinam sibi legem exponi iussit: quare bonam

volum-

voluminis partem recitavimus, & quamdiu de scripto diximus (diximus autem horam, eoque amplius) diligenter ab eo attentèque auditi sumus, atque ita dimissi (Rex barbarus audita neglexit, inquit Turfellinus.) In ea urbe dies permultos morati in viis ac triviis verba fecimus ad populum. Complures avidè præclara Christi facta audiebant: cumque ad acerbissimam ejus ædem ventum erat, lacrymas tenere non poterant, veruntamen Christianis sacris initiabantur admodum pauci. Ergo cum exiguus nostrorum laborum ibi fructus extaret, Meacum urbem totius Japoniæ (ut dixi) celeberrimam perreximus. Menses in itinere posuimus duos, multis periculis, quod per regiones bellis flagrantibus transeundum erat, perfuncti sumus. Mitto summa reorum illorum frigora [Turfellinus c. vi. l. iv. prolixè hoc iter describit & mense Octobri, quo frigus ingruit, susceptum esse comitibus Joanne Fernando Lusitano & Bernardo Japone neophyto narrat anno M D L] & vias frequentibus latrociniis infestas. Meacum ut venimus, dies aliquot expectavimus, dum facultas esset adeundi Regis, petendique ab eo ut divinam legem in suo regno nobis liceret divulgare: sed omnes ad eum aditus penitus clausos offendimus. [Minimè enim idoneum sationi Evangelicæ tempus erat, quoniam cuncta bello flagrabant, ut Maffæus rectè annotavit, de quibus vide l. præcedenti cap. iv. Turfellinus autem aliam causam affert ita loquens: Verum, quæ sunt occulta Dei consilia, ea spes prorsus irrita atque inanis fuit, Japonicæ quippe consuetudinis urbanitatisque incitia, vulgaris & obsoleta vestis, Christianæ vitæ simplicitas eum cohorti Regiæ eludendum præbebant.] Itaque ut Regis imperia à Regulis & Dynastis contenti solita accepimus, consilio veniæ ejusmodi petendæ abjecto, civium animos ac sensus tentare, atque explorare placuit, quam esset ea civitas ad Christi cultum recipiendum accommodata: verum quod cives in armis essent, gravius urgentur bello, tempus ab Evangelii prædicatione alienissimum judicavi. Amangucium (itaque) remigravimus, Regique literas ac munera (monochordum & horologium & alia: ea autem Regi Meacensi destinata fuerant) amicitie causa ab Indiæ Prorege & Goano Episcopo missa reddidimus. Rex & donis & literis admodum delectatus, ut nos remuneraretur, magnum nobis auri argentique pondus obtulit. Quibus nos muneribus remissis eum rogavimus, ut si quod munus advenis hominibus gratum dare vellet, divinæ legis in sua ditione nobis promulgandæ faceret potestatem: hoc munere nihil gratius accidere posse. Ergo edicta celeberrimis urbis locis proposuit, quibus edicebat, placere sibi cœlestem legem in sua ditione promulgari: eandem iis, qui vellent suscipere licere, & simul vacuum cœnobium nobis ad habitandum attribuit [non omittendum esse hic duxi id,

N 2

quod

quod Turfelinus c. VII. l. IV. annotavit Xaverium hic factitasse, etsi Maffeus idem confirmet, ipse autem Xaverius non posuit. Jam usus, ait Turfelinus, eum docuerat, ab Japonibus communi mortalium vitio homines specie cultuque corporis aestimari, pannosos vero vix hominum numero haberi: perinde ac si viri decus vestitus magis quam virtus foret. Quocirca obsoleta veste deposita, vestitus elegantiam assumere decrevit, & splendore vestis oculos speciosa magis quam vera bona spectantium capere, ut eorum deinde animis lucem offerret veritatis. Ergo Amangucium cum remeasset, splendida in veste, duobus tribusve famulis comitantibus, adiit Regem. Et consilium comprobavit eventus. Proinus ab affectis ad Regem, &c.]

Huc ad nos novæ religionis cognoscendæ causa multi ventitabant: bis concionabamur in die: concionem semper excipiebat concertatio de religione bene longa. Proinde perpetuo aut in sermonibus habendis, aut in quæstionibus prolignandis eramus occupati. Concionibus sæpe intererant Bonzii multi, alique è nobilitate ac plebe quam plurimi. Semper ferè domus erat hominibus referta, sic ut interdum nonnulli loci angustiis excluderentur. Post multorum dierum certamina & interrogationes denique victi manus dare, & ad Christi fidem se conferre cœperunt. Turfelinus de primo baptizato in hac civitate commemoratione dignam narrat historiam: Primum decus, inquit, non doctrinæ fuit, sed patientiæ. Fernando Francisci socio in trivio concionante ad plebem, Japon fortè quidam præteriens ad concionem accessit. Inde, ut erat homo insolens, prodiit in medium, & collectam in ore salivam in concionantis os conjecit. Eam ille contumeliam adeo patienter tulit, ut nihil omnino commotus, abstersa linteo facie, institutum pertexeret sermonem. Tantæ patientiæ miraculo motus quidam è concione, in animum induxit suum, à viris tantâ virtute præditis non posse religionem nisi sanctam afferri. Itaque domum ad Franciscum venit, instituitur, ac primus omnium baptizatur. Hujus exemplum alii deinceps secuti: inter hos Laurentius Luscius tantum animo divinæ lucis accepit, ut nuntio rebus humanis remisso, totum se Deo consecraret, magno cum Japoniæ emolumento. Is namque in Societatem a Xaverio adscriptus, egregius deinde concionator extirrit. Hæc Turfelinus; quæ Maffeus quoque habet l. XIV. à Xaverio in epistolis nullam ejus fieri mentionem miror. Sic itaque tertiam Ecclesiam, Amangucianam nimirum vidimus. Quartæ, ejusque postea celeberrimæ, fundamentum modo jecit Xaverius, nempe Bungenfis, de quo ipse p. 256. ita: Amangucii cum essem simul cum Cosmo Turriano & Joanne Ferdinando, Rex Bungenfis potens inprimis me per literas rogavit, ut se convenirem: Lusitanam navem ad suum portum appulisse: cupere se certis de rebus mecum communicare.

Itaque confestim, vel ut ejus erga Christi fidem animum explorarem, vel ut Lusitanos inviserem, Bungum profectus sum, Cosmo & Joanne apud Christianos relictis.

Ego magnam ex Lusitanorum congressu cepi voluptatem. Dum Bungi commorarer, magnum Amangucii bellum Diabolus excitavit, &c. Post Amanguciani Regis interitum, regni Proceres ac Dynastæ gravi perfuncti bello, cum viderent rem Amangucianam sine rege stare non posse, legationem ad Bungi regem miserunt, ut fratrem suum germanum, Amangucium mitteret, quem sibi regem constituerent. Rex scilicet morem eis protinus gessit. Itaque ille regnum adeptus est Amangucii (sed malè ei hoc cessit. Namque post aliquot annos occisus est. Vid. epist. Ind. p. 37.) Bungenfis Rex magnis sanè bellicosissimorum hominum copiis instructus admodum imperat latè. Lusitanorum nomen mirè diligit. Itaque de Lusitani Regis opibus ac moribus cognovit, petiit ab eo per literas, ut se in amicorum suorum numerum adscriberet, eiq; thorcem amicitiaæ obsidem misit.

Ad Proregem quoque Indiæ certum hominem allegavit, qui suam illi amicitiam, societatem, studium prolixè deferret: is legatus mecum devecus in Indiam honorificè & perliberaliter a Prorege tractatus est. Ac Bungi Rex ante meum ex Japonia discessum, Lusitanis ac mihi recepit, se cum Amangucii Rege fratre suo acturum, ut Cosmum Turrianum & Joannem Ferdinandum amplecteretur. Idque ipse Amangucianus Rex designatus nobis promisit, simul atque in regni possessionem pedem posuisset, se esse facturum.

Plura de rebus gestis in Bungo Xaverius in epistolis suis haud commemorat: Turfelinus autem multis paginis libr. IV. capitibus octo, nempe à nono usque ad libri finem persequitur, & plurima enarrat, de quorum fide non sine causa dubitare possis, cum Xaverius eorum nihil commiserit epistolis suis: puto tamen pleraque saltem vera esse, certè lectu nec indigna nec injucunda harum rerum studiosis erunt, inprimis ea quæ de disputationibus Xaverii cum corypheis Bonziorum proponuntur. Pag. 348. inquit: satis constat, Xaverium ipsum Lusitanis domesticis liquido confirmasse, uno die, si vellet, amplius quingenta Japonum capita (in Bungo) baptismo ab se expiari posse: cæterum rem prudentius quam avidius exsecutus est. Colligere est ex illis, quæ Turfelinus subjungit, & ex iis, quæ Xaverius ipse habet, eum Bungi nullos baptizasse, sed Catechismi doctrinâ informatos suum reditum vel alium sacerdotem expectare jussisse, idque ob furorem Bonziorum, cui se tunc temporis opponere neophyti non poterant.

Porro pag. 366. Turfelinus ita pergit: (quæ omnia quoque apud Maffeam l. XV. reperiuntur.) Bungenfis Rex ut facta pon-

us adderet verbis, protinus quod fratri suadebat, ipsemet in suo regno facere instituit, neophytos fovens, & certum Xaverii sociis Bungum venturis domicilium destinans. Cæterum quo minus religionem, quam tantopere probaret, foveretque, ipsemet amplecteretur, amittendi per seditionem regni metus obstabat. Quocirca Franciscus eum ad Christi cultum pellicere frustra conatus, postquam in irritam spem tempus teri sensit, remque nondum maturam esse vidit, aliò consilia vertit curasque, &c. Xaverius igitur, Rege valere iusto, tandem ab eo divellitur. Subinde catechumenos maturi reditus aut certè Vicarii spe solatus, excedit urbe plenus spei, fiduciæque: quippe Regem ac bonam populi partem proclives ad Christi fidem relinquebat.

Magna utique eum tenebat spes, talis Regis gratiam illis locis Christianæ rei præsidio futuram; nec scellit. Ex quo Bungo Rex in Lusitanorum amicitiam venit, Christianæque religionis tutelam suscepit, uno semper tenore fidem & officium coluit: Francisci sociis eò destinatis commodam in suo regno attribuit sedem, & ad Regum finitimorum familiaritatem gratiamque commendatitiis literis aditum aperuit. Ad hæc Evangelii propagationem ac Francisci socios, in maxima temporum varietate fovit, ingenti Japoniæ bono, suoque. Quippe Christiana res, ethnico Rege favente, magnis deinceps auctibus crevit: Ipse autem, Christi benignitate quaecunque meritum suo tempore remunerante, non modò quatuor alia regna paterno adjecit, verum etiam trigesimo ferme post Xaverii obitum anno repente factus est Christianus. Nec nihil ea res ad Francisci (Xaverii) demortui meritum decusque pertinet. Rex cum ritè baptizaretur, sive suæ erga Franciscum venerationis memor, sive etiam illi, secundum Deum, tantum Baptismi beneficium debere se testatus, Francisci potissimum nomen assumpsit.

Sapientissimi Regis exemplum auctoritatèque plerique Procerum, nonnulli etiam Dynastarum secuti, quibus ille non minus pietate quam dignitate prælitit. Cæterum illà tempestate una Xaverium sollicitabat angebatque cura, quod apud nobilitatem Japonicam (cujus nomen in utramque partem apud plebem plurimum valeret) nihil admodum profecisset, nullo Procerum nobilitatemque salubria consilia animis accipiente. Adversabatur negotio primùm Sinarum, à quibus Japones religionem petitam habebant, auctoritas, ad quam convicti Bonzii Bungenses juxta & Amanguciani confugiebant: illud vulgo jactantes, Si vera esset Christiana religio, cur eam non probassent Sinae? Deinde regis Bungensis obstabat exemplum, qui prudentiæ & eruditionis famâ clarissimus Christiana sacra & instituta, quia non suscipiebat, ipse suo judicio damnare videbatur. Franciscus itaque

cum

eum videret, nisi expugnatâ Sinarum superstitione, Japonum animos capi non posse, decrevit ipsam invadere arcem, satis fidens, Sinais in Christi castra compulsis, eorum auctoritatem Japones haud ægrè secuturos.

Lusitanæ ergo navis Sinas petentis occasione invitatus, simul cum Bungensis Regis Legato, qui Proregi Indiæ ferebat dona, conscendit Novembri mense, anno M. D. 11: biennium totum jam in Japonia versatus erat, præcipuisque in Regnis non solum Christo greges, sed etiam Societati sedes quæsierat. Ex Japonia Matthæum & Bernardum indigenas, ab se baptizatos secum duxit, simul specimen gentis Japonicæ, simul idoneos majestatis Christianæ spectatores Romam deinde missurus. Ipse Xaverius de suo hoc ex Japonia abitu p. 255. ita ait: Bungo aliquandiu commoratus eram, cum Lusitanæ navis opportunitate invitatus, omisâ Amangucianâ reversione, statui e Bungo in Indiam solvere, ut socios ac fratres tanto intervallo reviserem, & socios ad Japoniorum culturam idoneos, aliisque res necessarias, quarum ibi magna est inopia, curarem.

Cocinum applicui 1x. Kal. Februarias, ubi à Prorege perhumaniter sum acceptus. Aprili mense proximo aliquot ex India Patres in Japoniam mittentur, quibuscum Bungensis Regis legatus domum est rediturus. Magna me spes tenet, copiosissimam, Christo favente, illis in locis messem futuram.

Nam ex gente ingeniosa, moderata, discendi avida, rationem ducem sequente, aliisque præterea laudibus cumulata, tanquam ex agro opimo ac fertili necesse est uberes ac lætas fruges existere. Cosmus Turrianus & Joannes Ferdinandus in præsentia toti sunt in Christianis mysteriis enuntiandis. Cosmus nostrati lingua scribit conciones: eas deinde Ferdinandus patriæ ipsorum linguæ satis gnarus vertit Japonicè. Et p. 261. At etiam, si Christianam religionem Sinae probaverint, utique Japones quoque religiones ab eis accersitas omittent. P. 253. Diu ac multum in Japonia elaboravi, ut omnibus vestigiis indagarem, ecquando Japones Jesu Christi notitiam habuerint: demùmque ex eorum literis ac sermone comperi, nihil omnino illos de Christo inaudisse.

Cangoximæ, ubi annum commorati sumus, animadverti Regulum ejusque cognatos albam crucem in familiæ insignibus habere, sed tamen Christi nomen funditus ignorare.

De duobus Japoniis, Matthæo & Bernardo, neophytis, quos Romam mittendos Xaverius ex Japonia abiens secum sumpsit, Maffæus l. xv. annotat, unum quidem eorum Goæ in India mortuum fuisse, alterum autem, quo destinatus erat, pervenisse Romam, & ab Ignatio in Societatem acceptum, deinde verò in reditu cum in Lusitaniam jam venisset repetendæ ergo Japoniæ,

N 4

leta-

lerali correptum fuisse morbo, quo Conimbrigæ supremum vitæ actum non sine plausu peregerit. Idem quoque Maffeus fatetur, Regem Bungensem ideo quod Lusitanorum commercium ac societatem expeteret, benevolum atque officiosum Xaverio præstitisse, etsi deinde verus pietatis cultor extiterit. Fuit enim tunc adhuc adolescens ille Rex. Sic itaque vidimus Xaverii adventum in Japoniam, qui fuit xvii kal. Sept. anni M. D. xlix, atque abitum Novembri mense anni M. D. li. & quæ interea temporis in negotio Religionis egerit. Goam deinde primò repetiit, hinc Malacam ut inde Sinas adiret, à quo consilio impeditus cum alio modo idem tentaret, mortuus est in litore Sinenfi circa Cantonem anno M. D. lxi, die iv Non. Decembris.

De hoc qui plura scire avet, legat Maffeam libro xv & Turfellinum libro v in vita Xaverii, qui plurima de itinere illius Sinenfi & morte enarrant. Regis Lusitani jussu illius facta ac miraculosa opera in India annotata sunt, quæ Turfellinus l. vi. habet, demum post multos annos à Pontifice in Sanctorum album solenniter est ascriptus: Burdigalæ in Gallia celeberrima urbe ædes atq; domicilium ejus nomini consecratum fuit anno circiter M. D. cxxvii, ab Arelatensi Archiepiscopo.

## CAPUT VI.

### *De Propagatione Religionis Christiana.*

**V**erum ad Japoniam nobis redeundum est. In ea Xaverio abeunte remanserant Religionis propagandæ causa Cosmus Turrianus, & Joannes Ferdinandus: duo Japonii aliis informandis apti erant, Paulus & Laurentius Luscius. Quatuor autem civitates receperant Evangelium, nimirum Cangoxima, Firandum, Amangucium & Bungum. Xaverius ex India, anno M. D. lxi. ante obitum suum tres subsidiarios Cosmo & Fernando miserat, nempe Balthasarem Gagum, Edvardum Sylvium, Petrum Alcacevam, quorum hic mox in Indiam ex Japonia rediit, reliqui duo manserunt. Venere deinde sequentibus annis Caspar Villela, Almeida, Frojus aliique plures. Hi progressu temporis tantum promoverunt, ut magnam incolarum totius Japoniæ partem ad Christiana sacra compulerint, in plurimis civitatibus templa & collegia extruxerint, magnamque autoritatem toto regno adepti sint, etsi primis annis haud juxta vota eorum

res

res succedebat. Namque anno M. D. li. bello contra Regem Amangucianum exorto, quo ipse extinctus est, urbs Amangucium tota ferè in cineres relacta est, Christiani doctores ab hostibus ad necem quæsitæ, de quo vide epist. Ind. p. 24 & 25. Sed anno sequenti cum civitas instaurata esset (ex ligno namque ædes extruunt, ideoque facilius minisque eis sumptuosa est ædificatio) redintegratâ operâ multi conversi sunt, nimirum duomillia & ampla ædes fuscitata usque ad annum lvi. Hoc enim iterum bellum contra Regem conflatum est, & Amangucium totum ferè in cineres redactum multo crudeliori incendio, quam id fuerat, de quo antea diximus, viginti diebus post illud adventantibus hostibus, ex consilio neophytorum Cosmus Turrianus illinc abiit Funajum in regno Bungenfi situm: secuta est deinde Amangucii everio calamitosa. Funaji autem Gagus duomillia Christianorum, cum jam præparatos à Xaverio animos esset nactus, fecerat. Hæc ex epistola, scripta vi. Id. Sept. anno M. D. lvii. Cosmi l. i. Epist. Ind. sunt excerpta, ubi p. 37. hæc quoque habentur: Gagus erat magnâ apud Regem (Bungensem) in gratia: ad quem Prætor Indiæ certum hominem Regis Lusitaniæ nomine cum pretiosis muneribus misit, egitque gratias, quod nos adeo humane liberaliterque tractaret. Hoc ille officio permotus, ædes nobis optimas ex materia cedrina est enlargitus, è quibus templum extruximus cum reliquis ad incolendum necessariis ædificiis, operam suam in id navantibus admodum impigre Christianis. Decrevit etiam nobis aureorum quinquagenum vectigal. Anno M. D. lv. octavo idus Sept. Rex apud nos sanè quam jucundè cœnavit: à coena de Deo verba fecimus: ipse per quendam ex amicis jussit nobis renuntiari, velle se certos pecuniæ fructus assignare alendis illis, qui in sua ditione Dei legem docerent. Respondimus, nobis hoc non ita esse necessarium, sed in pauperum subsidium hospitalem domum à nobis ædificatum esse, quæ hujusmodi ope admodum indigeret, orare nos Regem, ut beneficium illud in eam domum conferret: quod fecit. Et simul jussit nobis attribui aream in urbe imperii sui admodum ampla ac celebri, Facata nomine, ab urbe regia quinque dierum itinere, ubi jam Gagus aliquot fecerat Christianos. Sic itaque quinta Ecclesia, Facatensis originem habuit, quæ postea valde crevit, quoniam ea civitas & opulentior & majori gaudebat pace quam reliquæ, etsi p. 57. templum Christianorum direptum & disturbatum legamus. Vide autem p. 108.

Pag. 38. describitur, quâ ratione Dynasta sive Regulus Firandi permiserit potestatem extruendæ ædis, quæ sacra fuit Virgini Mariæ.

Pag. 40, & 41. Christianorum in vico Cutame laudatur gratitudo.

Pag.



Pag. 43 & 52; calamitas Ecclesiæ Funajensis propter seditiones subditorum contra Regem.

Pag. 55. Villela commemorat, Firandi, anno uno factos esse Christianos mille & trecentos, templa Christo tria dedicata, quæ antea idolorum fuerint. Scripsit autem Villela hanc epistolam anno M. D. LIX; Cal. Sept.

Videatur quoque epistola Consalvi Fernandi p. 64. 65. 66. quæ pulsos inde esse Sacerdotes scribit: sed iterum receptos, p. 98.

Anno M. D. LIX. Villela cum Laurentio Christiano Japonio Meacum est profectus, totius Japoniæ metropolim & regiam urbem: Totum iter & quid effectum sit, ipse Villela descripsit in epistola, cujus initium p. 85. Non pauca etiam habentur in prima epist. l. II. Scilicet feliciorum successum, quam Xaverius antea, experti sunt, ita aucto inibi Christianorum numero, ut necesse fuerit, per amplam domo coemptam templum instruere.

Meacensis itaque sexta fuit ex præcipuis Ecclesiis.

Cangoximana, quæ omnium prima fuit, accrevit deinde anno M. D. LX, Rege jam magis favente Lusitanis propter cupiditatem attrahendorum mercimoniorum in regnum suum. De eo vide p. 105. epist. Ind.

Ecclesiæ in Vocoxjura urbe, quæ xxiv milliaria ultra Firandum abest, descriptio sit p. 109. quæ pro septima numerabitur. Pag. 107. hæc de ejus initio verba reperio: Eo consilio sum revocatus, ut ad Regem Vocoxjuræ proficiscerem, qui nos in suum regnum liberalissimis conditionibus invitaverat: cum præter alia multa & Lusitanis omnibus in eum portum comitantibus, quique cum ipsis negotia contraherent, in decennium ab omni portorio immunitatem se daturum esse promississet, & quicquid circa est agri ad passuum octoginta millia Cosmo obtulisset, ut intra eos fines ethnicus nemo ipsius injussu habitare posset.

Anno M. D. LXI. Villela vocatus, celeberrimam & ditissimam civitatem Sacajum, milliariibus à Meaco distantem ingressus est, & annum integrum ibi moratus multos ad Christianam religionem adduxit, atque ita octavæ Ecclesiæ, quæ deinde florentissima fuit, initium dedit, Vide de ea p. 97. ep. Ind.

Ximabara in urbe plus mille & quingentos Christianos numeratos, scribitur in epist. p. 130, adeoque pro nona Ecclesia eam licebit habere.

In Belgarum annotationibus Ecclesia in Cæsarea urbe Nan-gefæque maximè celebratur, ubi magnus fuerit Christianorum numerus. Vide de hac caput ult. hujus lib. Aliarum civitatum minus illustrium; in quibus templa Christiana suscitata sunt, nomina

mina recensere non puto operæ pretium, cum pleraque nè annotata quidem sint. Cæterum primo decennio paucissimi è nobilitate ordine, multo minus ex Proceribus fidem Christianam receperunt, omnes ferè pauperes, ægroti vel certè minus opulenti erant, qui illam profitebantur, cum egenis subveniendum esse sacerdotes Christiani prædicarent. Japonenses autem parci in conferendis eleemosynis essent, nec à Bonziis misericordiæ & beneficentiæ erga pauperes admonerentur. Pauperes ferè, inquit Maffeus ex Xaverio, & inferiorum ordinum homines colla salutaris subsidebant jugo: contumax etiamnum & fastidiosa, veruntamen manus olim datura nobilitas à Christiana humilitate ac mansuetudine, egentiumque ac vulgi consortio valde abhorrebat. Venerat ex India in Japoniam Jesuita Melchior Nonnius anno M. D. LVI. eam potissimum ob causam, ut Bungi Regem, de cujus quanquam athei erga Xaverium & reliquos Christianos benevolentia & prompto juvandi studio in præcedentibus multa dicta sunt: sed irritæ fuerunt omnes ejus admonitiones & preces. Ità enim ipse Nonnius p. 54. ep. Ind. Ut in Bungum veni, dedi operam, ut regem ipsum inviserem, multisque eum rationibus ad Christum traducere sum conatus: sed frustra, partim quod hostium metu in locum munitum sese præsidii causâ recepisset, partim etiam quod sibi intelligeret Christianam legem mores esse mutandos. Accedebat illa quoque suspicio, fore ut populares sui Christianum regem ferre nollent.

Sed illud maximè retardabat hominem, quod dæmoni deditus est in ea Bonziorum secta, (Jenxuana. Vide c. 1. hujus libr.) qui animum ait unam cum corpore interire, spiritum esse nullum, & nihil omnino præter ea, quæ sensu percipimus. (Addit Maffeus; Rex à voluptatibus, queis dudum assueverat, ad Christianam disciplinam severitatem traduci se nullo pacto sinebat.)

Egit cum eo Melchior, uti cum aliquot saltem Bonziis præcipua sapientiæ famâ, coram ipso regni proceribus disputationem ac certamen haberi de religione permetteret: nè id quidem impetratum. Unicum quendam Regem seu potius Regulum in Omura epistolæ illo decennio Christianum factum narrant, qui cum antea Xumitanda appellaretur, in Baptismo Bartholomæus novo nomine vocitatus est, & deinde multa idolorum phana dirui jussit. De ejus pietate & studio promovendæ Christianæ religionis vide in Epist. Ind. p. 131. 134. 135. 166. 186. Porro præter hunc etiam laudatur Dynastæ Hexandoni & uxoris ejus pietas p. 104. 107. Progressu autem temporis multi etiam è nobilitate & Dynastis adjunxerunt se cœtui Christianorum, ut videre est in ultima epist. l. IV. Epist. Ind. in primis celebris & deprædicata fuit Europæorum præconiis conversio Regis Bungenfis, qui cum triginta jam annis nomen suum inter

Christianos profiteri recusasset, ut supra diximus, etsi interea temporis eos semper foverit, tandem anno M. D. LXXXI repente factus est Christianus, ut ait Turfelinus, cum eo tempore etiam Arrimæ Rex religionem suscepisset, ita ut tres tunc essent Reges Christiani, nempe Bungi, Omuræ, Arrimæ, qui splendidam legationem ad Pontificem Romanum in Italiam inde ex Japonia misere, de quo Turfelinus p. 368. ita loquitur: Hujus (Regis Bungenfis) Legatum ad Gregorium XIII Pont. Max. Deus nostræ ætati nuper dedit ut videremus: cum juvenes Regii a tribus Japoniæ partim Regibus, partim Dynastis Christianis Romanam destinati, Pontificem Romanum, religionum Antistitem, gentiumque omnium parentem ritè agnoverunt, eorumque adventum ex alio orbe terrarum, reditumque in patriam, non modò Roma ipsa sed etiam Italia atque Hispania summis celebrarunt studiis. Quippe illi, quacunque transibant, summis juxta infimisque, ut inauditum post hominum memoriam, sic jucundissimum præbebant spectaculum, ingentique concursu, admiratione, favore hominum passim excipiebantur cum plausibus, clamoribus, cæterisque effusæ lætitiæ argumentis, ut cum illis Xaverii, qui primus Japoniam Evangelio imbuit memoria triumphasse videatur. Hæc Turfelinus. Est autem ea legatio, & quomodo accepti sint in singulis Aulis, peculiari libro descripta sed sermone Hispanico. Quoniam autem ejus legationis tempore Hugonius à Linschoten Hollandus, Reformatae Religionis, in India vel adjacentibus Insulis commoratus fuit, eamque in Itinerario suo descripsit, placet ejus narrationem ex Belgico in latinum translaram afferre, quæ est hæc: Postquam Jesuitæ in Japoniam venere, multos ad Christianam fidem perductos baptismi sacramento initiarunt, eorumque numerus indes adhuc crescit, etsi multa sint loca, imprimis interiora seu mediterranea & à mari longius remota, quæ nondum illi attigere.

Inter cæteros baptizati sunt tres Reges, nimirum Rex Bungi, cujus potentia nulli Regum cedit, Rex Omuræ, & Rex Arrimæ. Tres hi Reges ablegabant filios suos & cognatos unà cum Jesuitis quibusdam in Indiam, ut hinc navi conscensa in Lusitaniam proficiscerentur; unde porro Romam peterent ad obedientiam & Reverentiam Pontifici Romano deferendam & Regum nomine promittendam. Abierant ex Japonia anno M. D. LXXXII: & insequente anno LXXXIII appellebat navis, quâ vehebantur, ad Goam in India, eo ipso anno, quo ego isthuc loci ex Europa veneram ita ut illos Goæ reperiremus. Anno proximo solvebant è Goa in Lusitaniam, inde profecti sunt Madritium in aulam Regis Philippi, à quo & Ordine equestri magnificentissimè splendidèque apparatu excepti sunt, multisque donariis & cimeliis affecti. Madritio abière Romam ad Pontificem, qui non

minus

minus ac Rex Hispaniæ fecerat, comiter acceptos & tractatos muneribus plurimis exornavit: idem fecerunt Cardinales & omnes Italiæ Principes. Perlustrabant enim totam Italiam, Florentiam, Venetias, Ferrariam, &c. Tandem relicta Italia reversi sunt primò Madritium, denique in Indiam, ferentes secum literas Papæ Sixti, & reliquias quasdam, fragmentumque sanctæ crucis, tradenda Christianis Regibus Japoniæ pro sacro donativo & honorario. Redierunt in Indiam anno LXXXVII, cum ego adhuc ibi commorarer, & magno cum gaudio recepti. Inde in Japoniam perrexerunt, quo cum venissent, magnam sui admirationem popularibus excitarunt. Hæc moliti erant Jesuitæ, ut ipsi aiebant, duas ob causas 1. ad incitandas Japoniorum mentes quo promptius & plures religioni Christianæ nomen darent. 2. ut ipsi magnificentiam & præclaras Europæ conditiones, de quibus vix poterant persuaderi, oculis usurparent. Verum enimvero præcipua causa, quæ Jesuitas ad hoc impulit, fuit, ut non tantum magnum Ordini suo decus & famam compararent, sed etiam ut non parvum thesaurum inde reportarent vel lucrarentur. Etenim maximam partem donorum, quæ Japoniis Principibus fiebant, illi sibi vindicarunt. Præterea à Pontifice Maximo & Rege Hispaniæ impetrabant, ut sine ipsorum consensu nemini Lusitano aut alteri Christiano liceret in Japonia sedem domiciliumque figere.

Itaque toto regno nulli sunt monachi, sacerdotes aut Clerici aliorum Ordinum, sed soli eam obtinent Jesuitæ: laicos paucos apud se ferunt, nempe Lusitanos quosdam opifices, quibus carere non possunt: aliis verò cujuscunque conditionis fuerint ut mercatoribus aditus regni tantum permittitur ea conditione ut rebus expeditis iterum discedant, si verò inibi constantem habitationem expetant, à Jesuitis ejus potestatem redimere tenentur. Hi quippe omnibus Japoniæ locis, ubi religio Christiana colitur, magnâ valent autoritate & potentiâ tam in Politicis quàm Ecclesiasticis causis, persuadent Japoniis quæcunque libet; Honorantur & coluntur ita ut tantum non adorentur ab illis quasi Dii vel Sancti essent. Insuper à Pontifice, cum contra ordinis ipsorum leges esset Episcopum fieri, super hac re dispensationem ejus consecuti erant, ut in Japonia Episcopum ex suo ordine creare possent. Qui huic officio destinabatur è Lusitania erat accersitus, verum in itinere antequam Indiam attingeret, mortuus est, in cujus locum deinde curarunt alium surrogari.

Nimirum id unicè student, ut omnia in sua teneant potestate: quemadmodum ex omnibus Indiæ locis, ubi Lusitani dominantur, ipsi præcipuas & maximè divites obtinent, in quibus magnifica exstruunt ædificia, qualia vix alius quisquam ausit attentare nec ulli aliorum ordinum Religiosi tantis pollent viribus:

bus:

bus: ipsi autem omnia ad tales moles necessaria callent sibi comparare. Etenim si modo illis aliquid vel cogitando inciderit, ex quo lucrum captare possint, facili id negotio impetrare norunt tam à Rege ipso Hispaniæ quam ab aliis Dominis & plebe. Dicas eos fascinare homines adulationibus & simulatione. Quid? quod ita docti sunt & periti mercaturæ, collybi & similibus artium lucri faciendi, ut ipsos negotiatores superent. Ut paucis dicam, nullis in Indiæ locis quicquam est proventuum & reddituum, ex quo illi non partem aliquam decerpant. Ex quo fit ut non tantum aliorum ordinum Religiosi sed etiam vulgus illorum avaritiam exsecretur & de illa conquerantur. Hæc Hugonius, sane durius & imprudentius, quam æquum erat.

Quis enim jure id vitio verterit Jesuitis, quod collegia sibi multis locis erigant, opesque acquirant, quibus freti deinde sine tristissimo curarum onere literarum studia tractare queant, nec ex mercatorum, vulgi, hominumque indoctorum arbitrio vivere teneantur? Etenim quam vilis & tenuis eruditorum sit conditio, quando annuam aliorum liberalitatem prenfare & præstolari coguntur, id quotidiana in nostris regionibus nos docet experientia. Sed hæc obiter: Ad Japoniam revertamur.

## CAPUT VII.

### *De Methodo, qua Jesuita in convertendis Japoniis usi sunt.*

**J**Am satis superque exposuimus, qua occasione & quo successu introducta sit in illam religio per Jesuitas. Videamus autem quem illi in hoc negotio modum tenuerint, vel quâ Methodo usi sint in Ethnicorum conversione, quantum quidem iidem in epistolis de hoc tradiderunt. Nemo enim illorum accuratè & perfectè hanc rem, maximi quanquam momenti, proposuit, sed sparsim hinc inde quædam literis immiscuerunt. Xaverius p. 225. hæc habet de sua methodo: Hoc interim, inquit, spatio nos in neophytis erudiendis, Japonica lingua discenda, Christianæque fidei capitibus Japonice vertendis operam posuimus. Ac de mundi procreatione breviter attingebamus ea, quæ hisce hominibus opportuna videbantur, veluti Deum hujus universitatis opificem ac procreatorem esse, quod illi funditus ignorabant: itémq; cætera ad salutem necessaria, præcipuè verò Deum humanam induisse naturam.

naturam. Quamobrem omnia, quæ in Christi vita elucent mysteria, usque ad ejus in cælum ascensum, novissimique judicii rationem tradebamus diligenter. Eum jam librum Japonicè magno labore conversum nostratibus literis mandavimus. Hinc deinde illa, quæ dixi, ad Christi fidem accedentibus recitamus, ut neophyti rationem teneant Dei ac Jesu Christi piè ac salutariter colendi. Ea nos secunda concione cum exponeremus, magnam ex iis Christiani ceperunt animis voluptatem, quippe qui ea, quæ à nobis dicerentur, planè vera esse intelligerent. Idem Xaverius p. 259.

Cosmus Turrianus & Joannes Ferdinandus in præsentia toti sunt in Christianis mysteriis enuntiandis & sermonibus de præclaris Christi facinoribus habendis ad populum. Ac multi eorum ita ejusmodi rerum commemoratione afficiuntur, ut Christi cruciatus, necémque fletu ac lacrymis prosequerentur.

Usque adeo autem seduli sunt in hoc genere & curiosi, ut cum se cruce signare docentur, requirant, quid sibi velit: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: quid sit causæ, cur dextrâ primùm ad caput sublatâ, dicatur: In nomine Patris. Deinde ad pectus demissâ, addatur, & Filii, Postremò, à dextro humero ad sinistram traductâ, adjiciatur: Et Spiritus sancti. Quorum rerum explicatione mirificè delectantur. Ubi Kyrie eleison, Christe eleison, dicere jubentur, horum verborum significationem exquirunt. Sub hæc B. virginis rosaria ita decurrunt, ut ad orbiculos minores salutatione Angelicâ recitatâ, JESU & Mariæ nomen identidem implorent. Hæc autem ac reliquas preces, itémque Symbolum paulatim ediscunt ex scripto Pag. 257. Ex horum, (Bonziorum) numero multi erant, qui suis commentationibus eò demùm delabebantur, ut putarent in suis disciplinis nihil esse præsidii ad animorum salutem.

Sic enim secum ratiocinabantur: Omnino oportere unum rerum omnium esse principium: ejus nullam in suis libris fieri mentionem. Nam de hujus universitatis molitione mirum apud omnes est silentium.

Pag. 219. Hanc hyemem (ut opinor) in Symboli capitibus Japonicè paulo copiosius explicandis consumemus, eo consilio, ut explicationem typis imprimamus, quò quam plurima loca literarum beneficio, quarum plerique Japonæ gnari sunt, Christiana religio pervagetur. Pag. 207. beneficio tabulæ, in qua imago B. Mariæ & pueri Jesu in matris gremio sedentis picta erat, ad Regulam Cangoximanum ad Religionem adducendum Paulus usus esse scribitur. Pag. 213. Magna in spe sum divinam nobis opem in tali re non defuturam: quippe cum nostris diffisi viribus, spem omnem in Christi Domini vi ac potestate summa, fan-

sanctissimæque ejus parentis, Angelorum omnium, ac præsertim Michaëlis Archangeli Præsidis Ecclesiæ militantis patrocinio defixerimus. Multum etiam spei in eo Archangelo ponimus, cujus in clientela, tutelæque Japonia est, eique nos, itémque reliquis Angelis hominum custodibus nostrum negotium, quotidie nominatim commendamus, uti non desinant pro Japonum clientum suorum conversione ac salute Deum deprecari. Atque etiam beatorum omnium auxilium imploramus assidue, &c. Mundum rotundum esse nesciebant, nihil de Solis astrorumque cursu cognorant. Proinde hæc aliæque ejusmodi, velut cometarum, fulminum, imbrium causas cum interrogati aperiremus avidissime audiebant, mirifice delectabantur, nosque tanquam viros bonos suspiciebant, quæ doctrinæ opinio aditum nobis patefecit ad religionem in eorum animis ferendam. Montanus in epist. p. 142. sic loquitur: Quod ad conversionem harum gentium attinet, Evangelium longe latèque jam pervagatum est, & sanè probatur in vulgus, & fere semper ad Baptismum Dei beneficio aliqui perducuntur. Ratio autem nostra cum illis agendi est ejusmodi: Quæritur primum, quàm sectam sequantur: deinde non modò quam ipsi profitentur, sed etiam reliquæ omnes Japonicæ sectæ multis rationibus ità confutantur, ut earum ope ac præsidio, æternâ salute se nequaquam posse potiri intelligant. Id ubi perceperunt, docentur; esse unum rerum omnium opificem, qui ex nihilo cuncta creaverit, eaque omnia fungi officio præter Angelos desertores & hominem, qui è primò illo statu suâ culpâ exciderit, in quo ab Deo parente positus fuerat, idémque naturæ legibus, rectæque rationi adversetur. Discunt deinceps Deum esse trinum & unum, cujus imperium primus ille homo neglexerit. Et quoniam infinitæ Majestati ac Numini facta injuria, infinitam quoque satisfactionem exigeret, secundam Trinitatis Personam, cum genus humanum aliæque omnia creata natura solvendo non esset, humanitatem nostram ultro assumpsisse atque induisse, ut idem homo simul & Deus innocentissimus poenam nostris sceleribus debitam pretioso sanguine suo, acerbâque persolveret morte, ac nos in Omnipotentis Dei gratiam restitueret. Hæc illis omnia clarè & copiosè explicantur: tum ad eorum quæstiones probè respondetur, & omnis ex eorum animis, quoad ejus fieri potest, dubitatio tollitur: atque ut illis certæ precandi formulæ traditæ, præceptaque Decalogi exposita sunt, promittunt se barbaros ritus superstitionesque deposituros, denique sacri Baptismi vis atque mysteria iisdem explicantur, atque ità Christo dant nomina ac baptizantur. Versamur in hisce Japonicis regionibus hoc tempore è Societate Sacerdotes septem, fratres quinque. Scripta est epistola anno M. D. LXIV. Frojus p. 205. & seq. prolixè describit, quibus cæremoniis hebdomada-

dem Cinerum celebrarint, hæc addens: Indè (habitâ concione) convivio excepti sunt, quod Natali die & Paschate Domini solenne Caspar instituit eò consilio, ut quàm arctissimo Christianorum animi caritatis ac benevolentia vinculo inter se jungantur, &c. Et p. 149. de eisdem loquitur.

Pag. 97. Paschali die Dominico, historiæ quædam è sacris literis actæ sunt, ut exitus Israëliti populi ex Ægypto, specie rubri maris in vestibulo templi machinationibus artificiosis exhibitæ, quæ transitum Israëlitis præberet, ingressum autem Pharaonem una cum exercitu obrueret. Ionæ quoque casus aliæque similia exempla, &c.

Villela in epist. p. 39. ità fatur: Instituti nostri in Japoniis adjuvandis ejusmodi ratio est: Primum quoniam plurimis tantæ sunt tenebræ, ut animam simul cum corpore interire, nullumque Dei judicium de rebus in vita bene vel malè gestis futurum existiment, duos menses quotannis, Novembrem atque Decembrem, usque ad octavum diem ante natales Domini ferias, ponimus in quotidianis de morte, judicio, poenis inferni: deque cœlesti beatitudine concionibus, ad quas universi ferè conveniunt Christiani. Die verò mortuorum omnium commemorationi dicato in eandem rem majori etiam studio ac cæremonia incumbimus. Toto autem eo tempore cenotaphium habemus atratum: super id, responsum unum verbis conceptis quotidie pronuntiamus, & sacra rituum illorum mysteria populo exponimus. In festa Natalia, dimissis per finitimas villas nuntiis Christianorum conventum indiximus, &c. Ex iis tres, audito jam aliquoties verbo Domini, Baptismum à nobis vehementer efflagitant, sed idcirco differtur, ut interea melius Christiana rudimenta atque instituta percipiant. Plura de hoc negotio non invenio annotata.

## CAPUT VIII.

*De illis, quæ à Japoniis objecta vel quesita sunt.*

Operæ pretium quoque ea cognoscere fuerit, quæ à Japoniis objiciebantur Jesuitis vel inquirebantur, & quid ad illa hi responderint: sunt enim difficillima. Xaverius pag. 260. hæc habet: Unum est, quod Japonum animos pungit & cruciat vehementer, quod inferorum carcerem undique clausum ad exitus esse à nobis acceperunt, nullâ ut ope quisquam indè eripi queat.

**Dolent**

Dolent videlicet liberorum extintorum, parentum, propinquorum majorumque suorum vicem, & dolorem lacrymis declarant suum. Itaque percontantur à nobis, ecqua spes sit, ecqua ratio æternam ab illis miseriam deprecandi.

His ego scilicet ita respondeo, ut negem omnino. Hæc eorum cura mirandum in modum angit, atque sollicitat, sic prorsus, ut ut dolore propè tabescant. Verùm in eo malo hoc inest bonum, quod spes est fore ut hoc magis de salute laborent, nè item uti ipsorum majores, suppliciis damnentur æternis. Rogitant etiam, num eos Deus eripere possit ab inferis? Cur tandem illorum cruciatus nullum sit finem habiturus? Ad hæc satis est responsum à nobis. Veruntamen illi suorum calamitatem deplorare non desinebant, ut ego lacrymas tenere vix possem, cum vernerem homines mihi amicissimos intimitis angere sensibus propter rem ejusmodi, quæ acta jam esset, nec in integrum revocari ullo modo posset.

Idem Xaverius. p. 244. plurimas objectiones proponit his verbis: Mirabantur vel maxime, cum audiebant, animorum unum esse communem effectorem. Quod si esset unum rerum omnium principium, profecto Sina, à quibus ipsi religiones assumpsissent, non fuisse ignoraturos. Itaque multa de hoc principio percontabantur: Utrum bonum esset, an malum? unumne idemque principium bonorum & malorum? Respondebamus, nullum esse principium, idque summe bonum, sine ullius mali admittance. Hoc illis non probabatur, quod Diabolo naturam malis & humani generis hostes ducerent: proinde Deum, si bonus esset, nequaquam commissurum fuisse, ut res tam malas procrearet.

Ad hæc nos referebamus, Diabolo quidem à Deo bonos procreatos, sed suo vitio factos esse malos; atque ob eam causam sempiternis poenis suppliciisque mactari. Tum illi objicere, profecto Deum tam crudelem in animadvertendo, nequaquam esse clementem. Deinde si Deus hominum genus condiderit, uti nos doceremus, cur homines ad Deum colendum natos à Diabolo exagitari, tentarique sineret? Jam si Deus bonus sit, haudquam homines tam imbecilles & ad peccandum proclives ab eo condi oportuisse, sed mali omnis expertes. Denique Deum bonum esse non posse, qui teterrimum illum inferorum carcerem ædificavit, nullaque unquam misericordia capiatur eorum, qui apud inferos atrocissimis suppliciis in omnem æternitatem cruciuntur. Postremo si bonus esset, leges tam difficiles nequaquam hominibus fuisse daturum.

At suis disciplinis tradi, eos, qui disciplinarum autores implo-rarint, vel ex mediis inferorum cruciamentis ereptum iri. Illud nullo modo concoquere poterant, homines ad inferos detrudi sine ulla omnino spe aliquando exeundi. Itaque suas discipli-  
nas

nas aiebant pietate atque clementia magis nixas esse quam nostram. Hæc nos quaestiones demum ita Deo favente persolvimus, nullus ut in eorum mentibus scrupulus residere. Omnino Japones ducent sequuntur rationem, ut qui maxime, vulgoque omnes eo usque curiosi ac molesti sunt in percontando, ut finem nullum faciant vel argumentandi vel nostra responsa cum aliis communicandi.

Pag. 247. Amangucianos ante susceptum baptismum odiosus quidam ac permolestus scrupulus pungebat ac stimulabat: Non videri benignum & clementem Deum, qui Japonibus ante nostrum adventum nunquam se indicasset, præsertim verò si quicumque Deum non coluissent, uti nos prædicabamus, æternis erant suppliciis apud inferos cruciandi. Itaque majorum suorum omnium salutem desertam ac proditam dicebant ab eo, qui commississet, ut miseri illi salutaris veritatis cognitione fraudati ad interitum ruerent sempiternum. Hæc illos odiosissima cogitatio vel maxime à veri Dei cultu revocabat. Verùm Dei beneficio error eis omnis & scrupulus exemptus est. Primum enim demonstravimus, divinam legem omnium esse antiquissimam: siquidem ante adscitas ab Sina leges, Japones naturam magistratam sciebant, nefas esse hominem occidere, furari, pejerare, itemque alia, quæ decem illis divinis legibus continentur: argumento esse, quod si quod ejusmodi scelus admisissent, conscientia stimulis torquerentur. Jam rationem ipsam docere, fugiendum malum, sequendum bonum; idque naturam insitum esse in animis hominum, sic prorsus ut divinæ legis notitiam omnes à natura naturæque autore Deo habeant, priusquam accedat disciplina. Id adeo si dubium videretur, experiri in aliquo licere, qui disciplinæ omnis expertus in monte aliquo ac solitudine sit educatus sine ulla patriarum legum cognitione. Nimirum hujusmodi hominem, omnis humanæ disciplinæ rudem atque ignarum, si interrogaretur, utrum hominem occidere, furari, ac cætera ejusmodi, quæ divina lex vetat, peccata essent necne? num ab istiusmodi rebus temperare rectum esset? Profecto inquam, hominem illum humanæ disciplinæ funditus ignarum ita ad hæc responsurum ut facile appareret, minime esse divinæ legis expertem.

Unde igitur illum eam notionem hausisse existimandum, nisi ab ipso conditore naturæ Deo? Quod si in barbaris hominibus id cernatur, quid in humanis nationibus ac politis futurum? Quæ cum ita sint, necessario effici, ante leges omnes ab hominibus latas divinam legem in animis hominum innatam extitisse. Hæc eis ratio ita probata est, ut planè acquiescerent atque hisce laqueis expediti, suave Domini jugum facile subirent. Hactenus Xaverius, cujus solutione an nodus ille Gordius à Japonibus obiectus dissolvatur, lectores judicent, mihi in conatu desecisse vi-  
detur.



detur. Joannes Fernandus quasdam alias quæstiones à Japoniis notas p. 23. ep. Ind. describit, dicens: Domum ad nos convenere Japonii, ut variis nos interrogationibus fatigarent. Quæsitum est: Ex qua materia Deus animum condidisset? Nam corpus quidem est quatuor constare elementis non ignorabant. Qui esset color animi, quænam esset species? Dæmones quidnam essent? Cur homines tentet Diabolus, sitque eis vehementer adeo infestus? Cur, si erant cuncta, quæ Deus fecerat, bona, Luciferum spiritum malum & contumacem creasset? Percontabantur alii, quid esset Deus? ubi esset? num aspici posset? alii, cur Deus, cum sit adeo clemens, aditum gloriæ tantis difficultatibus circumseperit? denique tantus erat a matutino tempore usque ad vesperam hæc & alia sciscitantium numerus, domus ut opereretur. Vide responsiones ad quæstia loco allegato. Frojus p. 201. Auditores habemus mirum in modum curiosos: nullum quærendi finem faciunt, præsertim qui sunt à Ienxuana familia, quæ omni sublato Numinis metu, corporis voluptates pecudum more persequitur. Ii nihil in animum inducunt credere, nisi quod cernunt oculis, manibusque contrectant: quamobrem expugnantur difficillimè, nec nisi evidentibus planè demonstrationibus cedunt. Objiciunt autem nobis inter alia: siquidem est Deus, ut dicimus, idemque adeo bonus est: cur ad hoc usque tempus celavit bonitatem suam, eamque tam ferò Japoniis declaravit? respondetur autem ad hæc omnia sic, ut contradicere nequeant. Hæc Frojus, fatis hercle confidenter & arroganter.

Xaverius p. 253. Bonzii nobis conclonantibus, obrectandi studio in suis phanis conviciabantur, & magnâ auditorum frequentia nobis pariter Deoque nostro turpissimè maledicebant; Christianorum Deum esse ignotum quiddam & inauditum, fierique non posse, quin maximus ac teterrimus Dæmon esset: ejus nos Dæmonis esse discipulos. Proinde caverent, nè Christi sacra susciperent: simul atque enim ille pro Deo coli coeptus esset, Japoniam interituram. Dei quoque nomen cavillantes interpretabantur, Deum nihil aliud esse, nisi Daium, quod verbum ipsorum linguâ mendacium significat, &c.

De Bonziorum machinationibus in Christianos & calumniis & persecutione videantur Epist. Ind. p. 139. & aliis plurimis locis ut & in Xaverii Epistolis passim.

## CAPUT

## CAPUT IX.

*De zelo & pietate Christianorum Japoniorum.*

Porro de Japoniorum Christianorum pietate, Zelo & gratitudine quædam adjungenda sunt, etsi superstitionibus Pontificiorum implicata. Inprimis Regis Omurensis Barptolomæi de prædicandis est fervor in promovendo hoc religionis negotio & constantia, ita ut etiam a subditis suis eo nomine regno ejectus sit, deinde tamen restitutus, de quo vide prolixam narrationem in epist. Ind. p. 186. & seq. Frojus p. 212. ait: Multos & verbo Dei & sacratissimo Christi corpore pavimus, quod illi nimirum ut solent, uberrimo fletu, crebrisque suspiriis percipere. Vid. ibidem plura ante hæc verba.

Et p. 149. Dominica in Palmis cum sacrum fieret, Passione Domini per vices, ut sit recitanda, tanta populi comploratio orta est, ut vix inter pronuntiandum nos mutuo exaudire possemus. Jam sextâ Feriâ complures ad verberationem cum flagris ac tunicis confluxere, quod Firandi conventus hujusmodi à Rege prohibentur: nec sævientibus eo die procellis atque imbribus deterriti sunt, quo minus acriter sese cadentes, sanguinemque mittentes, per multos passus agmine composito incederent, quod ipsum separatim mulieres quoque Christi amore incensæ fecerunt, idque summa cum pietate ac sanctimonia. Porro aquam Sabbatho sancto benedictam magno studio ac fide ad morbos pellendos apud se religiose asservendam sumpserunt, &c. Vide in seq. celebrationem Paschatis.

Idem p. 131. Christiani verò, quique insulas, quique Firandum oppidum incolunt, ubi rescire nos piaculares orbiculas seu grana benedicta ex India, itémque Veronicas attulisse, multi cum universa familia, iique admodum pauperes, conductis mercede navigiis ad hunc portum trajecere. Interrogati cujus rei causâ, nullius præterea, respondebant, nisi unius petendæ Veronicæ. Nam qui orbiculum optabant, octo diebus ante, supplicationes ad Deum habebant, quo facilius impetrarent: atque etiam cum sibimet ipsi diffiderent, Lusitanis apud nos deprecatoribus utebantur, eaque dona quam sibi grata essent, ipsis etiam lacrymis testabantur. Jam verò alii Christiani Amangutio quinquaginta aut sexaginta leucarum itinere, alii Facata, alii denique aliis e regionibus ad nos hucusque Confessionis causâ contenderunt, quorum sanè religio caritasque est admirabilis. Per idem tempus Barptolomæus quoque Rex ad Cosinum invisendum in hæc loca se contulit, quem continuo adivimus, eique Xenia dedimus,

Rosarium ex equo marino, itémque granum unum auro insertum quæ ille quanti faceret, vel ex eo ostendit, quod utrumque statim è cervice suspendit. Regis autem ipsius animi submissio ac pietas, cum sacro Missæ interesset, potissimum elucebat. Etenim cum in templum quotidie mane multo ante lucem veniret, non modo sacerdotem ad statam usque horam præstolabatur, sed etiam plebem infamam adventu suo summoveri placebat, vixque parato sibi honoris causa stragulo ad considendum utebatur, prorsus ut quilibet unus è populo videretur esse, &c.

Pag. 144. Joannes Baptista Montanus ita: Nunc aliqua mihi de Bungenium Christianorum pietate ac devotione dicenda sunt, quæ virtus cum semper apparet in iis eximia, tum verò Quadragesimæ tempore præsertim elucet. Nam præter asperitatem vitæ privatam, & assidua supplicia voluntatis Christiani sextæ quæque feria frequentissimi in sacram conveniunt ædem atque ubi de Passione Domini peroratum est, extinctis luminibus, atrocissime cuncti sese diverberant. Equidem ut primum interfui, attonitus rei novitate miraculoque prorsus obstupui. Neque verò duntaxat virorum hoc decus est: ipsæ quoque mulieres in hanc partem se admodum strenuè atque acriter incitant: quarum nonnullæ cum me summis precibus obsecrarent, sibi ut in templo, sumptis nè dignoscerentur virilibus tunicis, echinatis globulis ferreis in sua terga sævire liceret, negavi scilicet, primum id minus decorum arbitratus: deinde etiam veritus nè si ad cæteram austeritatem & poenitentiam, qua seipsæ poenè conficiunt, verberum quoque tormentum accessisset, certum adirent vitæ disciimen. Id ipsum gravi admodum ætate senes à me magnopere contenderunt. Jam verò sacræ hebdomadæ officia, quo animi sensu ac lacrymis, Paschaliæ autem solennia quanto animi gaudio atque hominum multitudine celebrantur, dici vix potest. Nec sane minor est Natalium feriarum gratulatio & celebritas: quia etiam pia simul & jucunda per eos dies spectacula committuntur, illustribus aliquot actionibus è sacra historia Japonico versu descriptis: quæ poemata Christiani magno suo bono memoriter hauriunt: namque ea ratione & magnam sacrarum literarum partem addiscunt, & hisce carminibus identidem concinendis, profanas cantiones, quibus antea assueverant, paulatim dediscunt. Nam quid ego de Confessionibus dicam? quo in genere ita solertes accuratique sunt, ut aliud nil egisse videantur in vita. Quibusdam ego, id vehementer optantibus, per interpretem aures præbui: quorum nonnulli scriptam confessionem suam secum attulerunt.

Credas mihi affirmanti velim, quotidianas me sesqui-anni totius, (tamdiu enim sacerdote caruerant) recognitiones actionum suarum,

suarum, quæ examina dicimus, in iis scriptis liquido comperisse, eà dispositione atque ordine in commentarium crimina suis quæque diebus notata rerulerant, cum ante id tempus octavo vel quindodecimo quoque die Sacramentum Confessionis obire consueissent: quæ mihi eorum diligentia eò laudabilior videtur, quod ex mediocribus intervallis peccata ritè confiteri haud ita difficile duxerim: ipsorum verò octodecim mensium errata in temporum seriem digesta proferre, id verò inprimis mirandum est.

Frojus p. 147. Templum ipsum, quod Firando, aliisque ex insulis confluentem ad nos multitudinem non caperet, per eos dies amplificatum & sacrario atque ædificiis ad hyemem traducendam ornatum est. Opere absoluto, dum Japonius quidam apud nos ceram in candelarum usum liquat ad ignem, arida palearum materia, è quibus parietes erant extructi, flammam ita avidè arripuit, non modo ut hospitium nostrum ædemque sacram, sed etiam quindecim ferè vicina Christianorum tecta comprehenderit atque consumpsit, quorum sanè mihi æquitas animi ac patientia visa est admirabilis, cum incensis domibus domesticoque instrumento, in publicum se coacti proripere, tempestate perfrigida, cum è cælo densa nix caderet, una cum conjugibus liberisque, qui nonnullis eorum erant septeni octonive, nostram tamen vicem magis, quam suam ipsorum dolerent. Ego interea cum ægrotus decumberem, ex eo periculo me ad quendam Christianum, recepi, ibique in summa egestate storea mihi pro stragulo fuit, lignum pro cervicali (hic enim Japoniorum vulgò mos est) eò statim magna utriusque sexus hominum ac puerorum turba confluit, incommoda nostra & calamitatem lacrymis prosequentium: mortuos parentes lugere dixisses, atque ut est gens ad omnem humanitatem ac misericordiam pronam, quanquam in summis rei familiaris angustiis, alii ad me contegendum suismet vestimentis exuere sese, alii in cibum duas tresve cochleas, alii virides capas, alii denique sylvestre allium afferre: aliquot etiam Firandenses & Facatanes Christiani, qui in eam insulam anno priore Vocoxiura migraverant, cocta nobis cibaria septem octove dies è suis domibus misere, &c. Hæc sufficiant ad Zelum pietatémque gentis ostendendam; plura qui cupit, consulat epistolas.

## CAPUT X.

*De Causis tam feliciter propagata Religionis  
in Japonia.*

Quandoquidem in nullam regionem ex illis, quæ per navigationes duobus abhinc seculis tam versus Orientem quam Occidentem detectæ sunt, feliciori successu Christianæ religionis introductio suscepta fuit, quam in Japoniam, atque de hoc in præcedentibus capitibus prolixè sit actum, libuit etiam hoc negotium interius introspicere causasque illius rimari, quarum præcipuas, exceptis Christianæ religionis fundamentis, invenio has.

I. Populo huic innatum quoddam non tantum religionis sed etiam scientiarum studium. Ita enim Xaverius p. 191. Sermones de Deo rebusque divinis audiunt avidissimè, præsertim cum satis ea, quæ dicuntur intelligunt. Et cap. VIIII plura attulimus de illorum multis quæstionibus, ex quibus eos sciendi cupidos esse manifestum sit.

II. Misericordia & liberalitas, quæ erga pauperes & ægrotos utendum esse Christiana religio fidelibus injungit. Quoniam enim magna est egenorum multitudo & ægrotorum, imprimis leproforum, qui ab omnibus ferè derelicti & ab omnibus remoti in locis desertis cum summâ miseria vitam transigere tenentur, ut libri primi capite ult. dictum est, hi audientes doctrinam Christianam talem esse, quæ opulentiores ad auxilia & elemosynas pauperibus faciendas compellerentur, & præterea viderent nosocomia & ptochotrophia à Jesuitis hinc inde erigi, promptè sanè amplectebantur hanc religionem, & nomina sua apud Jesuitas profitebantur. Hinc est, quod Jesuitæ in epistolis sæpe conqueruntur, pauperes ferè tantum & ægrotos Christianam suscipere fidem, quorum verba hac de re in fine capituli VI. attulimus.

III. Huc accedebat prava Bonziorum doctrina, quæ pauperes vel omnino non vel certè non ita facile ac divites æternæ salutis participes fieri posse docebat, quam opinionem Jesuitæ illis attribuunt. Pauperes itaque cognoscentes, Christianam religionem contra, pauperibus faciliorem quam divitibus ingressum in regnum coelorum promitti, non poterant profectò non ambabus ulnis eam acceptare.

IV. Commercia Lusitanorum, quæ Dynastarum maritimarum, cum ex eis magnum redundare lucrum perspicerent, ad suas singuli provincias attrahere cupiebant, & ideo Jesuitis, quos plurimum

rimum apud Lusitanos nautas & mercatores posse sciebant, plurima permittebant, quod alias facturi non fuissent. Hinc illæ ad Lusitanum Indiæ Proregem missæ ab eis plenæ simulatâ benevolentia & promissione literæ Regis Bungensis, Cangoximani (quas p. III. & 112. in epist. Ind. vide) & Firandensis: hujus quoque ad Jesuitam Nonium epistola p. 35. De Rege Cangoximano, quomodo is spe commerciorum Lusitanorum prædicationem Jesuitis & potestatem Christianismi suscipiendi subditis suis permiserit, deinde verò cognito, quod naves Lusitanorum in aliam provinciam essent appulsæ, interdicto, quod antea concesserat, prohibuerit, de eo cap. v. verba Xaverii attulimus; videri etiam potest Turfell. p. 297. & epist. Ind.

De Rege Firandensi, qui Christianos aliquoties expulerat, pag. 152. epist. Ind. Jesuita Frojus hæc fatur: Firandenses Christiani magno nostri desiderio tenebantur, mihi autem per Regem à Christiana religione, contra quam initio simulaverat, alienum, in ea urbe rem divinam facere non licebat.

Interea naves Lusitanorum duæ in hanc oram è Sinis delatæ, quarum magistri cum injussu meo Firandi portum invehi nollent, Rex ratione lucri coactus (nam alioqui secus ac primis adventus nostri in Japonem annis simulaverat, & nobis & Christiano insensus est nomini) se mihi per quendam è suis familiaribus excusavit, quod bellicis districtus negotiis nondum mihi salutem nuntiari jussisset, & simul magnopere petiit à me, ut Lusitanos urbis aditu nè prohiberem: se primo quoque tempore de mea etiam introductione cum navarchis acturum. Illi igitur permitte me descendunt, & promissa ab Rege sæpius exigunt, templum ære suo se exædicaturos recipiunt. Rex tergiversando rem extrahere, nosque jam apertè frustrari, cum eo ipso tempore orneraria, cui à sancta Cruce est nomen, advenit sanè opportune, & occasionem optimam præbuit Regis ab ea perfidia revocandi.

Hanc ego navem actuario quæsitam reperi ipso cursu velis adhuc inflatis, & Petro quidem Almeidæ navarcho pro excellenti ejus probitate & in Societatem nostram observantia, facile persuasum est, ut vela submitteret statim, ibique subsisteret; jactis anchoris ab oppido sex millia passuum stabat, rogatæ meo Regi apertè denuntiat, se nisi nobis restitutis nequaquam appulsurum. Rex autem, dierum aliquot morâ interpositâ, ad extremum metuens, nè si rem diutius distulisset, magnâ rerum suarum jacturâ navarchus alios portus peteret, nobis & urbem intrandi & sacra adis extruendæ potestatem fecit. Hæc Frojus, & simili ratione Jesuitas in pluribus locis usos esse manifestum est ex aliis locis epist. Ind.

Regis verò Bungensis & Arrimensis successores, crudelissimos  
Chri.

Christianorum carnifices in Persecutione, quæ secuta est, fuisse, et capite sequenti discere licebit.

V. Multum quoque promovit rem Christianam ignorantia Japoniorum in Astronomia & rebus naturalibus, imprimis Meteoris. Harum rerum enim causas cum à Jesuitis doctè factis & verisimili ratione explicari viderent, magnopere eorum eruditionem admirati sunt, ut cap. V. dictum & VI.

VI. Movebat etiam Japoniorum animos, quod Jesuitæ ex tam remotis regionibus venissent nullum alium ob finem quam ut viam æternæ attingendæ salutis monstrarent.

VII. Unius Japonii, primi nimirum, ad Christianismum adducti, Angeri nomine, deinde Pauli dicti, conversio magno fuit adjuvamento Jesuitis. Certè absque eo si fuisset, non facile ita introducere potuissent religionem.

VIII. Illud verò magnopere abducebat Japonios à patria religione, quod Tyrannum Nubunangam videbant innumera cœnobيا destruere, Bonzios magno numero mactare, religionem aperte irridere, neque tamen ipsius impietatem à Divis suis puniri. Frojus in fine epistolæ, quæ ultima est libr. IV. Ep. Ind. ita de hoc loquitur: Quæ cum ita sint, pro certò putârat Japonicum vulgus Nubunangam religionis tam multis locis tam graviter violatæ brevi pœnas daturum, Nunc verò contra, cum videant, omnia illi è sententia cedere fierique potentiorum indies, valde offendi cœpere in suis Diis, & conceptam à pueris de ipsorum nomine ac majestate opinionem paulatim deponere; Quæ res minime aliena nostris rationibus videbatur, atque utinam percrebescat. Hæc Frojus.

Cæterum cum non multò post Nubunanga tragicum sortitus sit exitum, (namq; non ipse tantum, sed omnes liberi necati sunt à conjuratis) argumentum hoc non tam Christianos, quam Bonzios Japonicæ religionis antistites potuit juvare.

IX. Similitudo Japonicæ religionis, etsi falsæ, cum Christiana, imprimis verò cum Pontificia, procul dubio non parum ad hanc rem fecit, cum & Bonzii initio advenit Jesuitarum Japoniis persuadere conati sint, suam religionem non esse differentem ab illorum, ut Xaverius testatur.

Sicut enim Christiani spem omnem in Christi Merito repandendam esse statuunt, & hac fiducia ab inferno liberari: ita Japonii Doctores suos prædicant Divos, quorum cruciatus & miseria, quam in hac vita ultrò passi sint, cultores ab æterna damnatione immunes faciat, de quo cap. I. hujus abundè dictum. Cum Pontificiis autem plurima habent communia. 1. quod utriusque sexus cœnobيا multa extructa habent. 2. quod carnis usum peccatum esse dicant. 3. quod Clericis conjugium interdictum est. 4. Quod monachi & moniales non tantum cæteris homi-

hominibus sanctitate se prætare gloriantur, sed etiam profanis bona sua opera vendere possint. 5. Quod in ea sint utrique opinione, quod plura beneficia in religiosos conferantur, eò facilis æternam comparari salutem. 6. Utrique pro mortuis exequias agitant. 7. Ad certum orbiculorum seu globulorum numerum preces multas recitant. 9. Extra cœnobia viventibus potestatem de rebus divinis judicandi adimunt. 10. Peregrinationes ad Sanctorum sepulchra instituunt. 11. Noctu surgunt certis horis ad preces. Quæ omnia Japoniorum religione fieri, cap. II. III. IV. explicarum est.

## CAPUT XI.

*De Crudeli Persecutione Christianorum in Japonia, & extirpatione.*

Hætenus felicem lætumque conaminis Jesuitarum in inferenda Japonicæ Christiana religione successum vidimus. Jucunda fuit protasis, grata magis epitalis: sed miserabilis sequitur catastrope. Tristis rerum facies: quam Comœdiam fore sperabant, ea repente horrida sit exitu suo tragoedia. Nihil minus metuerant olim Jesuitæ, quam adeo sævis modis abolitum iri religionem, quam non infelici omine nec multum refragantibus intulerant: cœli potius ruinam, quam ut tale quidpiam eveniret, crediderant, quod ex epistolis Xaverii & aliorum legentibus manifestum fiet. At quæ varia rerum vicissitudo est, vix profundiores aliquantum radices egerat isthic locorum religio, cum radicitus extirparetur vel potius innumerorum h. minum sanguine suffocaretur. Permirum autem est, Jesuitas, cum de introducta Religione satis prolixè & gloriabundè scripserint, de hac Persecutione nè verbum quidem literis mandasse, quod editum sit. Nihil enim in hoc genere ab illis scriptum me videre memini, & licet diligenter percontatus sim, an quid editum esset de hac re, nihil tamen comperire potui.

Quicquid itaque de hoc scimus, Belgarum annotationi debemus, quorum cœmmercia in Japonia tempore istius Persecutionis maxime cœperunt florere, Lusitanis nimirum regno fugatis à Cæsare Japonicæ. Adeo verum est, quod proverbio dicitur: Malam nemini horam esse, quin alicui bona sit; & bonam nemini horam, quin alicui mala sit.

Sed

Sed neque Belgæ plenè de hoc negotio scripserunt, neque initiū annum, occasiones & causam literis mandarunt, verum ea ferè tantum, quæ commemorationis suæ tempore ibi fieri videbant vel audiebant, prosecuti sunt. Existimo autem quod circa decimum sextum hujus seculi annum ea laniena inibi coeperit, cum in prioribus jam annis intestina Japoniæ bella, seditiones, tumultus redacto ad unum Cæsarem in omnes Insulas Imperio sedata essent, quæ eo seculo quo Jesuitæ isthic primum venerunt, nempe quod nostrum præcessit seculum, vel maxime Japoniam conturbabant, ita ut eo tempore Reguli & Dynastæ nullum agnoscerent Imperatorem, sed singuli supremam sibi vindicarent potestatem, atque adeo inconsulto superiore Domino in provincias suas spe lucri admitterent peregrinos & cum illis Religionem Christianam. Hoc autem illis deinde, devoluto ad unum Cæsarem summo Imperio, facere non licuit, cum Cæsar Combo sive Combosamma, (hic enim circa annum M. D. CXXVII regnavit, ut cap. VI in fine dictum est) omnibus incolis Christianam doctrinam interdixit, avitamque religionem colere iussit, Lusitanis regno post aliquot annos ejectis, navibusque eorum expugnatis & templis dirutis.

Sed afferamus primum Belgarum (qui Reformatæ non Pontificiæ fuerunt religionis, nè quis fidem deroget his quæ afferuntur.) hac de re scripta, deinde de causis videbimus. Descriptioni Japoniæ autore Caronio adjunctum est scriptum cujusdam nomine, Rejeri Geisberts, qui anno XXI: & seqq. hujus seculi, procurandi commercii nomine Belgicæ Societatis in Japoniæ urbe Nangefacque vixit; illius titulus hic est:

Historia Martyrum, qui in Japonia propter Romano-Catholicam Religionem crudelibus & intolerabilibus affecti sunt tormentis vel etiam necati. Sequitur jam ipsa Descriptio, quam è Belgico sermone transtuli:

Ab anni M D CXXII exitu & exordio sequentis XXIII, combusti & capite multati sunt in urbe Nangefacque centum & triginta circiter homines, partim viri, partim mulieres, partim pueri & puellæ, in quorum numero præter alios religiosos fuerunt duo sacerdotes (*Papen* vocat Belgæ) qui longo jam tempore hic in nostro mercium repositoio captivi detinebantur, postquam capti erant a nostris una cum navi, in qua fuerant, cujus insigne Elisabetha, in classe Hispanica veniente ex Insulis Philippinis ad defensionem, prope Insulam Formosam: (cum Lusitanæ regno quippe ad Hispanum devenerant quoque Japonica hæc commercia & quicquid Lusitano nomini juris in illis locis competebat. Et ideo ex Philippinis quoque insulis quas Hispanus dudum possedit, Magellane primo earum Inventore, in Japoniam naves mittebantur: illorum nomina fuere Don Pedro de Suynego, Hispa-

Hispanus, & Ludovicus Pietensis, Antuerpiâ oriundus (quibus caput amputatum.) Inter combustos fuit quoque Italus quidam, dictus Spinola ex urbe Genua, & Belga alius, cum multis Lusitanis & Hispanis sacerdotibus: reliqui erant Japonenses, qui sacerdotes illos in ædes suas receperant & occultaverant, & horum vicini juxta Japonis leges (Vid. libr. I. caput XVIII) & consuetudinem. Nimirum cum Suynegone & Ludovico comburebantur vel capite multabantur centum & triginta homines, & proximâ vice centum partim viri partim mulieres partim pueri, inter quos fuere Japonius quidam scriba & alius quidam Interpretis noster, qui cum sacerdotibus illis duobus in nostra domo commemorantibus, de quibus antea dictum, secreta agitarent consilia, quo pacto eos liberare possent. Et fanè jam effectum dederant: sed non multò post ex fuga tracti sunt. Atque quod ministri constituti erant ædium nostrarum, ideo hæc molitio illorum valde Japonios offendit, neque ullo modo eis vita poterat impetrari.

Ad faciliorem combustionum harum intelligentiam, planius hic eas explicabimus, nè deinde ad singula combustionum exempla ea commemorare necessum habeamus, quâ ratione peragantur.

Vesperâ præcedente eum, quo cremandus aliquis est, diem, minister quidam Magistratus, ictu pelvis signum dat & proclamatur, quod unaquæque domus eo loco, qui combustioni designatus est, afferre debeat duos, tres, quatuor vel quinque fasciculos ligni incendiarii, plures aut pauciores, prout multi vel pauci sunt comburendi. Singulæ plateæ singulos habent Præfectos secundum Japoniorum consuetudinem, cujus est attendere, ut unaquæque suæ plateæ domus imperatum fasciculorum numerum suppeditet, sive has Christiani incolant sive ethnici. In loco ad supplicia hæc electo eriguntur tot pali, quot cremandi adsunt: palis ligna circumponuntur, sesquiunius ulnæ distantia, ita tamen ut uno loco vacuum relinquatur spatium pro ingressu illorum, qui puniendi sunt, qui postquam venere, ad palum constitutis alterutra manus resticulâ alligatur superiori parti pali, quantum quidem eam sursum trahere queunt, altera manus libera finitur: pedes quoque inferiori parti pali annectuntur. Hisce factis ingressus clauditur aggestis lignis in debitam altitudinem & ritè compositis. Tunc plurimis simul locis ignis ligno infertur, ita ut hac ratione miseri illi potius fumo suffocentur vel torrantur quam comburantur. Cum Don Pedro de Suynego & Louys Pieterfz hoc modo extincti essent, nocte proximâ quidam Lusitani & Japonenses Christiani ad supplicii locum se contulerunt, à cadaveribus illorum multas particulas semitostas rescuerunt, secumque abstulerunt, asservaturi illas juxta Romanæ Ecclesiæ morem



morem pro sacris reliquiis martyrum, ita ut altero die parum de cadaveribus illis superesset. Bilem hoc movit Rectoribus urbis Nangefacque & vehementer excanduerunt. Itaque cum brevi post Spinola & antea nominatus Belga cum suis focis igni adjudicati & cremati essent modo quo dictum, mandarunt iidem, ut in factam foveam aliquam, lignorum sufficiens copia injiceretur, hisce suffocatorum corpora imponerentur, corporibus hisce alia ligna desuper, sicque lignis incensis omnia in cineres redigerentur, qui cineres deinde ex ipsorum jussu in altum mare procul a terra transvecti dispergebantur, ne ulla illorum memoria ad superstitionem relinqueretur. Ante-hac quibusdam in Nangefacque capita amputata sunt, & hæc cum truncis ad quinque Japonensia milliaria a terra in pelagus abducta & in mare projecta sunt: nihilominus Christiani qui hodie hic degunt, affirmant & firmè credunt atque pro certo ducunt, quod illa capita in terram rursus a mari ejecta sint; quæ etiam magnopere venerati sunt, & tanquam sacras reliquias in alia loca transmiserunt. Erat quoque inter illos, qui cum Spinola ad ignem damnati erant, quidam Belga Bruxellæ natus. Hic jam in seipsum seu circum adductus vinculis ad palum religari non ferebat, sed in genua procumbens unum palum amplectebatur ambabus ulnis, facie in terram prostratâ, & in hoc situ manens extinctus est.

Quinque alii ad vicinos palos revincti flante vento tali ut ignem seu flammam in averfam ab illis plagam impelleret, (unde hebat, ut lentam ab eo noxam paterentur,) corabantur superiori corporis ventulam facere quo alter alterum refrigeraret, simulque se invicem consolabantur, donec præfocarentur. Duo alii, ad quos ventus flammam vehementius deferebat ita ut sursum, quibus alligati erant palo, rumperentur, per medium ignem se proripuerunt, ambusti, spondebant, deserturos se fidem, modo vita ipsis concederetur: verum ab apparitoribus, quibus executio demandata erat, denuò fustibus & hastis in ignem contrudebantur, dicentibus, quod non ex animo & verè fidem se deserturos profiterentur, sed tantum ideo, quod violentiam ignis ferre nequeant: tempus gratiæ jam præterisse, maturius eis hoc capessendum fuisse consilium. Possent alia & multa eodem tempore usurpata crudelitatis exempla afferre, sed hæc sufficere existimo.

Hiscæ finem videbatur accepisse persecutio; & cessatum fuit, usque dum anno xxiv in Jedo, ubi aula Cæsaris, sacerdos quidam caperetur & cum eo hospes, in cujus ædibus degebat, cum tota familia & aliis hominibus, centum viginti octo circiter, qui omnes uno a Jedo milliari ad locum appellatum Suniagouct cremati sunt. Valde enim indignabatur Cæsar, quod ea in urbe, ubi

ibi ipse aulam haberet, Christiani, & quidem sacerdotes reperi essent. Vir ille, apud quem sacerdos delinuerat, prædixit, & prædebat a quodam Apostata Christiano, qui se adhuc Christianum simulabat elemosynam ab eo petens. Quam cum vidisset, eductus jam de largitoris sui Christianismo, deferebat illum ad iudices: in proditoris compensationem ipsi concedebantur & ædes & omnia bona illius quem prodiderat, addito insuper mandato sub gravi pœna, ne quis ipsi hoc factum exponeret vel objiceret, nimirum ut plures ad similes prodiciones incitarentur.

Frater Dynastæ Firandensis, nomine Ginterrodoni, qui Jedone agebat tam obfès quam procurator nomine fratris, illico de hoc negotio hæc perscripsit: quo cognito, Firandensis ultimo die Januarii, (etsi is esset festus propter novi anni exordium, quod in illum hoc anno incidebat,) accuratè de Christianis inquisivit, qui fidem abnegare volebant, statim interfecti sunt omnes.

Hic Firandone permulti erant Christiani, si cum loci parvitate comparètur: attamen triginta sex vel septem tantum oppetierunt mortem, reliqui omnes abjecerunt susceptam olim religionem. Eos inter, qui necati sunt, vidimus puerulum sex vel septem annorum, qui tanto animi gaudio gestiens, prædicans & cantans Christianos Psalmos Japonico sermone ad mortem properabat, ut in tali ætate mirati id valde simus. Omnes ad mortem damnati, naviculâ impositi devehuntur ad latus Insulæ hujus (Firando) quod Septentrionem vel Orientem respicit, ubi & profundum est mare & impetuosè fluit. Hic illis lapides ad corpora alligantur, atque sic ex navicula in mari præcipitantur.

Sepulchro, quibus lapides vel alia signa erant imposita, ex quibus de sepulcorum Christianismo suspicari poterant, omnia illa in mare conjecta sunt; & loca sepulchrorum ad planitiem redacta, ne quis ea ullo modo cognoscere posset. Et simili modo actum est in omnibus ipsius imperio subjectis finitimis regionibus. Inter captivos devehébatur quoque quidam ex nostris interpretibus, dictus Lion, cum tota familia, patre, matre & omnium uxoris cognatorum, centum circiter homines, quorum pars quoque erant duo ejus parvuli liberi, uno adhuc lacte materno nutre.

Mittebam ad Lionem, Vicarium Mercatoris (Assistent est terminus mercatorum nauticus) nomine Symon Symoniz, atque offerebam illi quod duos hosce parvulos si ipsi eos mihi tradere & committere placeret, sumptibus & nomine Societatis Belgicæ educari curaturus essem: verum ille recusabat, liberos suos se secum abducurum esse dicens. Erat quoque in horum numero infans annorum circiter sesqui quinque, ex quo Symon ita percontaba-

contabatur: Puerule, cujus ergo hic te video? Ille respondit hilari vultu: Quoniam Christianus sum. Magna opera impendebatur ad interpretem hunc à religione abducendum, atque multos dies uno post alterum ejus poena differebatur. Cùmque fama esset, eum altero die cum omni familia necandum esse, jussit illi gubernator media circiter nocte mandari, ut illico cum toto sodalitiò Nangasacquen abiret: quam ob causam eadem nocte nostras ædes accedens valedicebat nobis. Utrum hæc gratia illi facta sit ex benevolentia gubernatoris erga nos an propter diurnam conversationem, quã ipsi notus erat (quandoquidem interpretes nostri singulis diebus apud eum habent quod agant,) id nobis haud constat. Cum illo ablegabantur etiam unus ex interpretibus Anglorum & alii duo, qui omnes ex Nangasacque oriundi erant: quandoquidem sibi haud convenire prætendebat, ut aliorum Dominorum imperio subjectos necaret, nimirum hic prætextus erat, ut specie justii id facere videretur. Quibus peractis singuli patresfamilias in aliquod templum Firandi accersebantur, ubi coram Deorum suorum idolis jurare jubebantur, quod nulli essent in ædibus ipsorum Christiani cum diris imprecationibus in proprium caput, si contrarium fecisse deprehensi forent: atque hanc confessionem & attestationem sanguine suo subsignare debebant, quem ex digitis, manu vel quocunque volebant corporis membro educebant, secantes illud cultro, plurimi tamen ex minimo digito sinistrae manus.

In Nangasacque tamen interea temporis quietæ erant res Christianæ, nisi quod modo hic, modo isthic unus aliquis sacerdos deprehendebatur. Decimo quinto die anni M. D. C. XVI. dimidio milliari extra Nangasacquen Hispanus sacerdos captus est, valde senex, qui vel quadraginta annos in Japoniã commoratus fuerat. Gubernator, qui tunc præerat urbi, Gonrocque non videbatur delectari multorum hominum sanguine profundendo, & maxima temporis parte ægrotabat vel ita simulabat, quantum ego ex illius gestibus & verbis poteram colligere: cum illi adessem, angustia mihi visus est quodam scrupulo, qui faciebat, ut neque die neque nocte somnum capere aut quietus esse posset, quemadmodum ipse mihi aiebat. Atque hanc ob causam assidue Cæsari supplicabat, ut hoc munus alteri demandaret, quod etiam anno XXVI impetravit, ubi in illius locum surrogatus est nobilis quidam Dominus de Cæsaris stirpe, nomine Kauwaytdo, Vir celebris prudentiæ & justitiæ famã, neque minus rigore juris (Experientia tamen illum haud adeo severum esse probavit, ut ferebatur:) unde Christiani in Nangasacque commorantes valde ejus adventum extimescebant, præsertim cum civitas hæc ante illa tempora perpetuo à mercatoribus vel aliis infra nobilitatem positus Viris administrata esset, quandoquidem Gubernator tanquam

Coem.

Coemptor (Factor dicitur vulgo) erat Cæsaris nomine, qui à peregrinis emebat & recipiebat eas merces, quarum Cæsar necesse habet: unde antehac nobiles in Nangasacque non conspiciantur. Sunt enim Japonii nobiles supra omnium aliarum nationum consuetudinem elato & feroci animo, contempnunt & nihili æstimant negotiatores aliòsq; homines: ob quam causam Christiani magis adhuc illum horrebant.

Anno XXVI. decimo septimo Junii novus iste Gubernator Kauwaytdo Nangasacquen ingressus est: die decimo nono mensis jussit collocari quinquaginta tres palos, lignaque incendiaria circum illos poni, distantia sesquiunius orgyæ, ut hic mos est: viceimo die producere jussit tredecim captivos cremandos, nimirum tres sacerdotes, quorum unus erat Episcopus, dictus Franciscus Parquerus, septuaginta annorum Lusitanus: secundus Balthazarus de Tores Dominicanus, sexaginta octo annorum, Hispanus: tertius, Iwan Baptista etiam Dominicanus, quinquaginta septem annorum, Italus: præterea quinque Lusitani, nempe hi: 1. Albrement Iosse cum filio quatuordecim annorum. 3. Balthasar de Solse, limenarcha cui in Nangasacque elegantes ædes & amoenus, spatiosus splendidusque hortus erant. 4. Iwan de Coste etiam limenarcha. 5. Diego de Costa, natus Nangasacque: reliqui quinque Japonii erant, qui sacerdotes diversis temporibus in ædibus suis occultaverant. Sacerdotes & Japonii Christiani ad mortem usque in fide perseverarunt: sed quinque Lusitani, quos enumeravimus, fidem abnegantes idola Japoniorum adorarunt, capillumque Japonico more sibi tonderi curarunt. Neque verò hi cremandi erant propterea quod Christum profitebantur, sed quoniam contra Cæsaris interdictum in Japoniam, ex qua fugati fuerant, redire conati erant ad visitandas uxores & liberos, quandoquidem ibi ante expulsionem, matrimonium contraxerant, & tres ex quinque illis reliquerant uxores & liberos, duo verò matres suas. Nihil itaque abnegatio fidei Christianæ ipsos juisset, (quandoquidem propter hanc non erat illis poena irrogata sed propter reditum) nisi eum in finem Japonii illos superstites esse consultum duxissent, ut malo suo exemplo Christianos Japonios ad abnegationem inducerent.

Duodecimo Julii, iterum in novem homines animadversum est, quinque nimirum viri ab ignis violentia interfecti, tres mulieres cum uno puerulo quinque vel sex annorum capite multati. Hi erant illi, qui sacerdotibus ædes suas commodaverant. Multi quoque adhuc captivi tenentur, in quos sententia jam lata est, sed nondum executioni mandata. Namque gubernator subito Meacum, quò Cæsar pervenerat, erat accersitus, quod fortassis quorundam mortem differet.

P

Vice-

Vicesimo nono Julii, denuo extra Nangafacquen in Umbra sacerdos prehensus est. Hic in tuguriolis leproforum, in quibus illi hominum consuetudine & civitatibus prohibiti hinc inde in agro exstructis habitant, aliquot annos miseris modis se sustentarat, ut eo melius lateret, quoniam leprosos, quorum magnus est numerus in hoc regno, reliqui Japonii valde averfantur neque levem quisquam ob causam eorum casulas ingreditur, ubi tristissima rerum facies est. Exiles enim sunt, ex stramine modo aut paleis succitatz, ut nocte à pluviarum injuriis corpora sua defendant: diurno tempore elemosynas petitem exeunt.

Gubernator Kauwaytsdo magnam Christianorum constantiam, eorumque numerum in Nangefacque ingentem adhuc esse animadvertens, ita ut multa millia hominum perimenda forent, antequam illos extirpare posset, aliam excogitavit rationem illud efficiendi. Ipse enim & Phefedonne multis jam diebus & hodiernum occupati fuerunt in eo, ut Christianos sacramento rogatos cogant fateri & indicare, (gravi addita poena, si quicquam celaverint) quantum in naves Lusitanas, Japonenses aut Chineses, lucri causa contulerint. Quae omnia accurate annotantur, & appellentibus illis navibus merces, quantum quidem deposito Christianorum debetur, in fisci jus reducuntur multae loco, constitutis ad hoc negotium Visitatoribus appulsarum navium. Haec machinatio ferè divites tantum impugnat, multosque horum ad sacra Christiana abjicienda impellit, praesertim cum Gubernator insuper minas addat, nequaquam illos sola bonorum amissione mortem redempturos, sed nihilominus aliquando matandos esse: haec tamen omnia humano sermone ac sub specie illis optime consulendi peragit. Pauperibus & egenis atrociter proponit tormenta, nisi religionem abnegaverint: illos, qui consulenti ipsi obtemperaturi sint, lautis promissionibus fovet, neque pecuniam modo & opes illis se largituros sed etiam quibuscunque possit modis eorum promovere commodum pollicetur. Dictis facta addit, ne vanae ejus promissiones judicentur, atque Apostatis, domos intersectorum vel fundos concedit: aliis alia satisfacit ratione, nimirum hac, ut Chinesibus nautis & mercatoribus, qui magno numero naves mercibus onustas adducunt (sexaginta circiter sunt) diversorium constituat in aedibus horum Apostatarum, utque hujus nomine decimam divendarum mercium pretii partem illis nihil praeter ignem & candelas suppeditantibus servent, jubet. Atque hoc modo multi egeni, quibus periculum à fame erat, mediocribus opibus ditantur. Lusitani mercatores paronibus suis (Galeotas vocant) appulsi non habent potestatem apud Christianos diversandi, ut antehac, nisi hi abnegaverint fidem: neque ulli Christiano ad illos accedere permittitur aut mercimonia tractare, sicut olim licebat, cum majores gauderent

gauderent libertate. Lusitani enim malebant cum Christianis Japoniis negotiari, quam ethnicis, magisque illis fidebant, quae res cum multorum Christianorum emolumento erat conjuncta: sed haec jam sublata est licentia. Hisce & similibus artificijs Gubernator plures ad apostasiam adducit, quam rigidis poenis & tormentis facturus fuisset.

Decimo Octobris, novus Gubernator qui advenerat, omnes apostatas, fidei desertores, aut neophytos ethnicos jussit ad se venire, indutos vestimentis quae habebant optima: erant illorum plures quam mille quingenti. Humanè & comiter exceptis benevolentiam suam & promptum juvandi inopiamque eorum sublevandi studium detulit, ut hac ratione reliquos Christianos ingentem apostatarum numerum, prosperumque horum statum insipientes ad abnegationem invitaret. Quoniam autem à Caesare in aulam vocatus est, jamque itineri se parat, puto hujus anni ad finem properantis residuo tempore nihil in hoc negotio amplius susceptum iri.

Anno M. D. CXXVII. die VIII. Februarii in pago quodam (unius circiter miliaris distans intervallo à Nangafacque, dictus Mongy, in territorio Dynastae Arrimensis, nomine Bongemendo, situs) duodecim homines partim viri, partim mulieres in carcerem coniecti sunt, omnes Romano-Catholicae religionis, & hisce tormentis affecti. Primo candenti ferro stigmata fronti illorum inusserunt, tunc ex illis quaesiverunt, an susceptam religionem abjicere & abnegare cuperent? Ad hoc illi promptè responderunt, nequaquam se hoc facturos: esse enim tantum unum Deum, cujus auxilio aeternae salutis participes fieri queant; ideo hunc haud sibi abnegandum esse.

Quo responso dato singulis duo stigmata addita sunt, in utraque bucca scilicet unum, ac quoniam constanter perseverabant, vestibus omnibus exuti sunt ad nuditatem usque; tam viri quam foeminae; Deinde extensis pedibus manibusque eorum, fustibus miserabili modo verberati sunt ut morti essent propinqui.

Et cum ne tunc quidem abnegare vellent, pudenda eorum aliasque violentiae impatientes corporis partes ferro ignito adusserunt foeminis pariter ac viris.

Fuit in horum numero infans sex annorum, qui omnia enarrata tormenta in tenero suo corpore perpessus, non minus ac reliqui natu grandes constantiae exemptum ostendit. Hisce peractis atque illis singulis perseverantibus, in carcerem rursus abducti sunt: interea alij quoque comprehensi, numero quadraginta circiter; singuli variis cruciatibus affecti, fustibus crudeliter tantum non enecti, cauteis membra mollioris sensus ambusta, atque plurimis aliis torture formis afflicti, quibusdam etiam digiti manuum pedumque amputati.

Demum cum nulla crudelitatis specie ad abnegationem adducti possent, hoc modo vitam privati sunt. Septendecim ex eis in mare precipitati sunt, quos inter numerabantur vir quidam cum uxore & liberis tribus; Horum trium natu major erat septendecim, medius tredecim, minimus sex annorum, qui cum patris, matris, sororis, fratrisque collo & ventri lapides alligari sibi que idem jam attentari cerneret, haud libens illud admisit. Iudices interrogabant parentes, vellente eum infantem superstitem esse? illi responderunt, nequaquam, sed secum eum abducere decrevisse. Itaque innocens infans cum reliquis in mare dejectus est. (Sciendum enim, Japoniorum legibus patri esse vitam necisque in liberos potestatem.)

Deinde octo ex captivis, qui jam vario tormentorum genere excruciatii erant, capite truncati sunt: reliqui sedecim abducti sunt in locum, quem Japonii vocant Singock, nostri Infernum, ubi ex radice precipitis cujusdam montis magno strepitu profluit fervens aqua lacum efficiens. In hujus verticem montis attractos Christianos ultimo interrogarunt, vellente fidem deserre Christianam? Singulis autem recusantibus, omnes desuper in ferventem lacum precipitarunt, atque hoc pacto miseri illi martyres, animas suas magna constantia Deo reddiderunt.

Magnopere autem illorum perseverantiam mirari possis, quippe exiguum ex verbo divino fundamentum fidei suae scientium, ita ut rectius pertinacia quam constantia dici mereatur. Ex sacra scriptura parum didicerunt: nihil ferè præter Orationis Dominicae & salutationis Angelicae recitationem (*Pater noster ende Ave Maria lesen* dicit Belga) cum aliquot precibus ad Sanctos norunt. A Sacerdotibus autem illis inculcatur & diris obtestationibus minisque mandatur, nè fidem abnegent & apostatae fiant. Hoc enim si fecerint, nullam ratione vitam aeternae participes futuros, sed in perpetuos cruciatus damnandos. Itaque permirum videtur, cum adeo ruinoso fundamento innitantur, reperiri tamen in eorum numero tam multos, qui intolerabiles sustineant ejus causam cruciatus.

Decimo quarto Maii denuò novem Christiani necati sunt, sex quidem mulieres, septem verò viri, atque ut de quibus jam diximus, omni prius excruciatii tormentorum saevitia, cum in fide persistenterent, ad ferventem aquam illam abducti nomen Jesus & Mariae secundum Romanae Ecclesiae consuetudinem invocarunt. Quod cum illis aliquoties interdictum esset, illi autem nihilominus facerent, lupato ori injecto loquendi potestas ablata est. Postquam ad aquam perventum esset, situlis illa accepta in Christianorum corpora, guttatim stillata est, imprimis verò in membra quae exquisitum sensum obtinent: rursusque interrogatos, an abnegare vellent, cum recusarent, manibus pedibusque ligatos in illam stygem abjecerunt.

Guber-

Gubernator Kauwaytsdo, cum à Jedone Nangasacquen reversus esset, die xxviii Julii cremari iussit Hispanum quendam sacerdotem, qui priori anno in leproforum tuguriolo deprehensus erat, annorum triginta sex circiter cum duobus ejus famulis Japoniis, tribusque leprosis, in quorum delituerat tuguriolis, modo in uno, modo in alio. Detinentur adhuc in carcere tres sacerdotes, quorum poenae seu morti jam erecti sunt pali, post unum vel alterum diem cremandi una cum hospitibus, qui illis diverforium praeberunt, foeminae autem & infantes capite truncandi sunt: sententia enim in illos jam lata & illis declarata est.

Decimo septimo Augusti quinque Christiani ad ignem damnantur, tres nimirum viri, duae foeminae: haec abnegarunt religionem, illi verò constantes sententiam latam tulerunt. Unus eorum sacerdos, natione tamen Japonius, nomine Thomas Soyse, (hoc est Interpres) vir erat eruditus, qui antehac Nangasacque conciones habuerat, cum Christiani florent. Multorum apud eum inventa sunt consignata nomina Christianorum, qui in circumjacentibus locis circa Nangasacquen tam in Ombra, quam Arrima debebant. Quo pacto aliquot mille Christiani detecti sunt, qui secreto fidem suam occultantes haecenus latuerant, jam vero miserandum in modum torquentur, cum vel recedendum sit eis à fide vel crudelissimo mortis genere intereundum. Duo reliqui viri erant hospes ejusque filius, apud quem sacerdos erat prehensus.

Non multò post in Nangasacque novum excogitavere modum, quo ad ethnicismum adducerent homines. Gubernator duodecim aut tredecim Christianos Jedonem ablegavit, inter quos fuere duo decrepiti senes, epulenti, & qui priorum Caesarum aetate in magistratu Nangasacque semper versati fuerant, adeoque aulicis optimè noti, tam propter munera, quibus praefuerant, quam ob divitias quas possidebant. Caeteri, horum senum erant partim filii partim cognati, qui eos comitabantur, atque omnes, ut videbantur, à morte non abhorrebant. Decimo quinto Augusti hac transferant: quid de illis futurum sit, expectamus. Alii plebei & egeni extra urbem ejeti & in montana abire iussi sunt, addito interdicto, adjunctisque Inspectoribus, nè vel in vicinos pagos veniant, vel tuguriola aut qualiacunque testa sibi parent, quibus à pluvia solisque ardore defendantur, sed ut bruta pecora sub dio in desertis degant.

Inspectoribus incumbit loca illa pervagari, & sicubi paleas & straminis videant fasciculos, quibus ad arcendas pluviarum solisque injurias usus esse possit, ignem illis inferre & concremare. In Nangasacque praeterea multorum Christianorum aedes occlusae, januis fenestrisque clavi additi, ut hac ratione domo se

proferre nequeant: si quibus indigeant rebus, illas à vicinis aliisve per quædam foramina accipiant necesse est. Multis, qui victum quærebant opificio, illo interdictum est, grandi adjuncta pœna si fecerint. Cui ii quoque subjacent, qui illorum operâ uti volunt. Nautis qui in varias regiones, ubi Japonii commercia exercent, abeunt, non nisi desertâ fide abitus conceditur. Horum plerique erant Christianæ addicti religioni, & ideo magna eorum pars abnegaverunt, quandoquidem alio labore sibi victum quærare haud nōrant. Præter hos cum alii, tum præcipuè plurimi ex illis, qui in montana prope Nangasacquen sua ablegati sunt, assiduis convelluntur liberorum & uxorum lamentationibus planctūque, quoniam æstus diei, frigus noctis, pluvias & ventos (unde corpora mirè intumescunt,) sustinere nequeunt: ita ut multi viri, etsi penitus in animum induxerant nullâ ratione Christum abnegare, miseris tamen & cruciatus jam recitatis sine intermissione afflicti à proposito suo deducantur.

Decimo septimo die Augusti, octodecim partim fœminæ partim viri, extincti sunt: decem ex illis violentia flammæ consumulit, erantque in horum numero duo monachi ordinis Dominicani, uni nomen erat Francisci, ætas quinquaginta circiter annorum. Reliqui Japoniæ indigenæ erant, nimirum sex viri, duæ mulieres, quarum altera sexaginta trium annorum, altera sexaginta unius ætatem agebat. Qui supererant octo, decollati sunt, quatuor viri, una mulier, tres infantes, quorum duo quintum aut quartum circiter annum agebant, tertius tertium.

Die xxvi. Octobris, Gubernator Kauwaytsdo, quoniam ad Regiam illi abeundum erat, ad iter se accingere & necessaria præparare cœpit. Inter illos, qui nomina sua Christo dederant, numerabantur tres Magnates Japonii (cum uxoribus & liberis, triginta duo aut tria circiter capita,) de familia Fidecosammæ, legitimi atque ultimi Cæsaris ejus stirpis, quæ, anno MDCXVI, expugnata Osacka, imperio spoliata & dispersa fuit. Nautæ Lusitani illos totamque familiam comitantibus quibusdam magnæ autoritatis Proceribus in parones suos imponere coacti sunt, atque Macaonem (Maccou vocant nautæ, urbem maritimam regni Sinæ, quam Lusitani tenent) transvectare, addito severo interdicto, nè inibi eos permanere sinerent, sed primâ navigationis opportunitate Macaone Goam Indiæ transportarent: si mandato huic non satisfecisse compertum fieret, omnes Lusitanos, qui posthac paronibus suis, in Japoniam venturi essent, tam vitæ quam mercium amissione plectendos esse. Quænam causa sit, quod illi non interfecti, sed e regno ablegati sunt, incompertum nobis est, nec quicquam de eo vulgo scitur. Verisimile, id factum esse propter stirpis, unde oriundi erant, majestatem. In-

audivimus non ita multo post, cum parones Lusitanorum redirent, omnes hosce exules Macaone sublatos esse pestilentia vel alio epidemico morbo, qui eam urbem tunc forte infestabat, excepta una vetulâ, quæ ab illa illæsa mansit.

Anno MDCXXVIII. interea temporis, quo Dominus Kauwaytsdo Jedone commorabatur, Christiani in montanis circa Nangasacquen versantes paululum respirarunt, majorique quam antea licentia usi sunt. Veniebant quippe in urbem, amicos suos invisebant, elemosynas ab iis colligebant, & vicissim amici extra urbem se proferentes illos invisebant atque sub tuguriolis eorum commorabantur, in vicinas quoque interdum domos convenere, quo pacto minus molestiarum hyeme ista, quam quæ hanc præcellerat, ætate experiebantur: atque hac libertate eo usque fruebantur, donec Gubernator Kauwaytsdo ultimo Julii die reversus, Christianos illos, qui in montana priori anno compulsi fuerant, numero trecenti quadraginta octo, qui constantes in fide permanferant, Arrimam jussit duci, ubi immanitate incredibili assiduis torquebantur cruciatibus, nimirum ferventi aqua in corpora eorum effusâ, candenti ferro membris adustis, fuste cæsis: totos dies æstui solis nudi exponebantur, noctes frigori aëris: labra serpentibus impleta collocabant in eorum oculis, minantes, in hæc illos injectum iri ni desciscerent à religione: crates præparatæ suppositis lignis, super quas liberos Christianorum ipsis inspectantibus parentibus, torrendos dicebant. Quosdam ab immanibus tormentis hisce ægrotantes, cum metuerent, nè morentur si diutius illis toleranda essent, curarunt ope Medicorum ad pristinam sanitatem reduci: sed postquam vires recollectisse visi sunt, rursus tormentis prioribus excarnificabantur, atque singulis hoc modo agebant diebus. In virgines verò, nuptasque fœminas ea ausi sunt patrare, ut erubescam illa enarrare, nedum chartæ committere, ideoque illa omitto. Aliqui viginti dies, alii quadraginta, quinquaginta, imò sexaginta, cruciatus illos sustinuerunt, antequam fidem ut abnegarent, adducti sunt. Ultimo Septembris die, ex omni illa multitudine quinque vel sex tantum restabant, qui nondum desciverant. Hisce caro toto corpore computruerat, ut ex fanie & fœdo ichore non minorem ac cadavera fœtorem ederent: firmè sibi proposuerant spem consequendi illius honoris, quod tanquam martyres enecti essent; hoc autem nomen ethnici magnopere oderunt, quandoquidem tanti illud à Christianis fieri perspiciunt. Dynasta Arrimensis (cujus præcessores Christiani fuerant, ut in præced. cap. dictum.) hoc in se susceperat onus, cum Kauwaytsdonem nimis lenem in cruciandis Christianis esse opinaretur.

Causa autem, ob quam Christianos non statim necent, quod illi quidem optabant & ita futurum speraverant, non est benevolentia



amorque erga illos, sed prima, quoniam martyrii titulum ipsis invident, deinde, quoniam exemplis apostatarum multos alios ad apostasiam adducere possunt.

Decimo septimo Septembris denuo in Nangasacque, viginti quinque damnati sunt, dimidia parte capite mulctata, altera flammis suffocata, hos inter iterum duo Dominicani numerati sunt,ambo adhuc juvenes, triginta quinque vel sex annorum circiter: reliqui, Japonii partim viri, partim mulieres, partim infantes puerique, nimirum cives, in quorum aedibus delituerant illi religiosi, cum tota familia & vicinia.

Ad hæc enim rectius intelligenda, non ignorandum est, quod, deprehenso in domo aliqua Religioso seu sacerdote, tota illa familia cum familiis duarum proximarum aedium ab utroque latere, hoc est omnes qui in quinque illis domibus agunt, puniuntur. Pater & materfamilias, in quorum aedibus deprehensus est, ad ignem damnantur, quod illum occultaverint: vicini interficiuntur, quod non observarint delitescentem in aedibus proximis sacerdotem. Atque his hercle vicinis magna in hoc plerunque fit injuria, cum plurimi nunquam Christiano nomini faverint, & nihilominus ob id & bonis & vitâ priventur, quod sanè deplorandum est. Etenim religiosi illi toto ferè die in aedibus liberè haud versantur, sed in foveis subter cubiculorum pavimenta præparatis commorantur, superinjecto & aslere & storea: Alii totum diem in parvo quodam angulo post latrinam foetido, fædo, squalidoque loco absconditi consistunt, quo vix pecus, ut taceam hominem, commorari aliquis suspicetur. Quidam delitescunt intra duo tabulata quæ admodum subtilia & minus crassitie habere apparent. Itaque in plerisque, præsentia religiosi in aedibus alicujus vicinis cognitu est impossibilis: hoc tamen non obstante vita illis adimitur. Accidit quidem aliquando, ut quidam vicini multas & tam manifestas probationes, se nunquam Christianis fautores extitisse, proferant, ut harum beneficio periculum evadant & dimittantur: sed paucis hic favor contingit, & quibus contingit, illi ad minimum omnibus suis opibus carere debent.

Ultimo Decembris accepi literas à Domino Melchiore Santvortio quibus edoctus sum, quod ex trecentis quadraginta & octo illis, de quibus supra dictum est, tres novissimi mortui sint, cum adeo viribus ob diuturnas quotidianas torturas exhausti essent, ut sedentes paulatim reclinato pectore & capite animam exhalarent, uno vel sesquiuno die inter illorum obitus intercedente. Hi soli ex omni illa dicta multitudine infandos cruciatus hucusq; toleraverant, ideoq; honorem martyrii adepti sunt (reliquis nimirum fidem abnegantibus.)

Anno M. D. CXXIX. die vicesimo septimo Julii venit Nangasacquen

facquen novus Gubernator, nomine Onemendonne, Dynasta Bungenis (ex profapia, ut arbitror, illius Reguli, quem cap. v. & x. diximus non tantum fovisse sed & suscepisse Religionem Christianam) & simul ex Cæsaris familia, quemadmodum præcessor ejus Kauwaytsdo quoque ex eadem erat. Onemendonne hic aliquoties antehac ab Imperatore in aliis provinciis ad judicia exercenda adhibitus fuerat, interdum quoque ad explorandas & detegendas conspirationes contra Cæsarem in Japoniæ regionibus susceptas operâ ipsius idem Cæsar usus est. Severè admodum ferebant eum animadvertere in noxios, quod etiam ex dicendis constabit. Præcipuè missus est, ut videtur, ad radicibus extirpandum delendumque Christianum nomen quandoquidem Kauwaytsdonem non satis rigidum fuisse Japonii arbitrabantur.

Adduxit secum quadraginta milites, quos inter, triginta nobiles sunt equites cum servis suis. Omnibus his militibus diversoria extra urbem assignabantur, matutino tempore urbem ingressi ad aulam operiebantur: vespertino in diversoria sua redibant. Rumoribus falsis divulgandum curaverat, quasi septingenti milites adessent: cum tamen plures, quam diximus haud adfuerint.

Altero post adventum die novus hic Gubernator multos palos constitui, illisque lignis cingi, modo, quo in superioribus diximus, mandavit. Quidam perhibebant, comburendos esse Capitaneum Moorum, Don Jeronymo de Masteda (dedita operâ nomina Hispanica retineo) & quatuor alios Lusitanos carceri inclusos. Aliqui Japonios quosdam, qui sacerdotes aedibus suis receperant, illis palis destinatos autumabant. Verum neutra conjectura verum attigit, cum neque hoc neque illud sit susceptum: sed quarto post adventum suum die milites suos, nimirum nobiles adjunctis quibusdam gregariis in plateas urbis dimisit. Ut hoc lectores probè capiant, sciendum est, quod urbs Nangasacque in octoginta octo plateas divisa sit, quarum singulæ in utraque extremitate portas habent, quibus noctu clausis à se invicem tanquam septo interposito sejunguntur. Singulis quoque singula nomina, singuli Præfecti supremi, qui de omnibus, quæ in plateis illis & ejus aedibus accidunt, edocentur. Etenim quinæ aedes suam observant, ut ita dicam primipilum, aut caput: hic ad Præfectum plateæ deferre tenetur si quidquam in quinque aedibus suæ curæ commissis peccatum aut turbatum sit: & si tale quid acciderit, non verò statim ad Præfectum delatum, omnes illæ quinque familiæ plectuntur, ut in superioribus de Christianorum nece dictum est. Præfectus plateæ singulis diebus Prætozem civitatis accedere tenetur, atque illi indicare omnes utut parvi sint res momenti: si majoris videatur causa momenti, Prætor

tor ad Governatorem civitatis defert, vel ad ejus Vicarium si Governatorem abesse contingat. Adeo accuratè ad omnia attendunt Japonii.

Cæterum Kauwaytsdo novo huic Governatori, Successori nimirum suo exhibuit consignata omnia nomina platearum, in quibus Christiani degerent, & quot ædibus cum nominibus patrumfamilias: quæ consignatio Onemendonnen sublevavit magno labore inquirendi de numero & hospitibus Christianorum. Itaque non diu cunctatus, omnibus viis tam terra quam mari excubias constituit, nè quis effugere possit: deinde portas platearum antequam vesperasceret claudi, mane verò non ante clarum diem easdem aperiri jussit, ut illi, qui ex una platea in aliam commearent, eo facilius dignoscerentur, cui negotio milites suos præfecit.

Hic procuratis ministros suos militesque in singulas plateas ordine dimisit: qui ad præfectum plateæ accedentes vel eum ad se accersentes, nomine Domini communis mandarunt, ut illorum civium, quorum nomina annotata secum portabant, ædes ipsis commonstraret. Quo facto, statim illas ingressi patrumfamilias interrogarunt, utrum adhuc Christianus esset, annon? Illo negante & deseruisse religionem dicente, annotarunt hanc illius confessionem, nihilque aliud attentantes abière. Si verò Christianum se esse fateretur, quæsierunt ex eo, an abnegaturus esset fidem? Neganti illico imperarunt ut ad aulam se conferret, quò cum pervenisset absque ulla præviâ interrogatione in conclave quoddam ab igne tutum (vid. cap. xxii lib. præc.) dictum Godon inclusus est. Interea dum istuc iret, milites eodem modo quæsierunt ex uxore ejus, liberis, totaque familia: Quod si hi quoque negarent, omnem suppellectilem atque bona diligenter annotarunt, januas fenestrasque impactis clavis occluserunt atque sigillo obfirmarunt, assumpta secum familiâ. Si vero hæc fidem desereret, annotarunt quidem omnia, quæ inerant ædibus, bona, ipsam autem familiam in ea permanere ad ea custodienda siverunt. Cum itaque satis multos in godonnas istas congregassent, jussu Governatoris abducti sunt Arrimam ad ferventem illam aquam Singacko, sive infernum, de quo antea monuimus. Hic attractis è terra trabibus in scopulos, qui hinc inde in angulis istius lacus conspiciuntur, extruxerunt tuguriola super illas trabes, ejus magnitudinis, ut hominem sedentem capere possit: tabulata ita fuere composita, ut ventus illac permearet, qualia in Java & Malaensium ædibus reperiuntur: illis superimposuerunt recens graminis ad semipedis crassitiam vel aliam ejusmodi herbam, ad augendum scilicet foetorem & vapores, quos aqua satis ingratos exhalat, ut eo majori suffocationis periculo miseri crucientur. Ita constructis casulis: introduxerunt in

in illas Christianos atque super graminis illum fasciculum collocarunt: deinde januas clauferunt, singulis tamen ferè momenti eas iterum aperuerunt visum, num quis suffocaretur: magna quoque attentione præcavebant, nè quis somnum caperet, nimirum nè dormientem mors à cruciatibus liberaret. Quos admodum imbecilles viribusque prostratis animadvertabant, impendentem suffocationem vel syncopen præventuri illos extraxerunt: cæteros reliquerunt donec & ipsi morti proximi viderentur, vel à religione Christiana desciscerent.

Cum hoc enim emittebantur. Atque hoc quidem modo, nocturno cum illis actum est tempore.

De die autem constituerunt illos ad ripam hujus lacus & parvis situlis hausitam ex illa aquam in eorum corpora stillarunt (excepto capite) assidue rogantes, annon abnegare cuperent fidem? Aqua hæc adeo acris & penetrantis est virtutis, ut ad ossa usque carnem corradat, imò ipsa corpora penetret seu transeat si copiosius affunderent. Imprægnata esse videtur sulphure, bitumine similique materia.

Multæ sunt in Japonia calidæ aquæ, sed nulla ex omnibus ad eam scaturiendi assurgit altitudinem, neque ita ebullit. Propter magnam ejus penetrantiam non ausi sunt capitibus hominum illud instillare, metuentes ne enecarentur. Pauci admodum reperti sunt, qui hanc carnificinam tres dies sustinere valuerunt, & si qui vel à destillata aqua vel nocte à vaporibus animam agere videbantur, illorum vires ope præstantium Medicorum, quos in hunc finem huc advocaverant, refocillari & confirmari curarunt, deinde priora tormenta repetita fuere. Qua quidem crudelitate vel constantissimi & qui firmissimum perseverandi consilium ceperant, ad abnegationem coacti sunt. Hoc pacto cum aliquot cohortibus toto mense Augusto egerunt, donec omnes fidem abjecerant. Neq; in tanta hominum multitudine ullus perseveravit, præter puerulum septemdecim circiter annorum, qui multoties aquâ illâ maceratus, cruciatus, refocillatus, deinde iterum maceratus demum animam exhalavit.

Fœminas aliis modis, non minus crudelibus affixerunt. Viduas quidem grandis senectutis ad aquam illam stygiam ablegarunt: juvenularum autem, mediæque ætatis mulierum aliquibus mandarunt, ut omnino nudæ, pedibus manibusque instar pecudum per urbem incederent, & inventæ sunt, quæ id susceperant faciendum: verum præ magno pudore illud ommittere coactæ desceperunt. Neque verò, si vel maximè pudore abjecto, illud peregissent meliori ideo in conditione futuræ erant, sed vel turpioribus spectaculis vel sævis cruciatibus reservandæ fuissent usque ad apostasiam.

Novimus quandam honestam & tenellam matronam, viduam &

& Christianam, cui magna familiaritas cum Domino Santfortio fuit. Hæc unicum enixa erat filium, eo tempore octodecim circiter annorum, quem iudices adigere conati sunt ut in ipsorum præsentia cum matre incestum committeret. Qua infanda & abominanda sævitia tam mater quam filius exterriti sunt, nullis tamen minis & cruciatuum propositis formis ad tale quid patrandum impelli potuere. Iudices, nisi id facerent, non in Christianorum sed apostatarum numero censendos affirmabant. Verum hujus indecori nominis impatientes mater filiusque ultro iudicibus offerebant: genus mortis, qualecunque illis liberet, se laturos esse: sed non impetrarunt. Iudices enim minis suis nihil promoveri perspicientes, foeminam illam ad equum admissarium adductam, manibus pedibusque sublatam ut equum admitteret, cogere instituebant, filio adspectante additisque multis opprobriorum plaustris.

Tandem mirandam mulieris constantiam, quæ neque ullis minis, neque ulla indecora turpique specie, neque consilio & adhortationibus præclarorum amicorum cederet, cernentes, ad stygem illam deduci iusserunt cum filio, ubi etiam imperarunt matri ut in filium, filio ut in matris corpus aquam illam funderet, quâ copiam ipsi vellent: verum ab utrisque recusatum est, etsi situlæ ipsis in manus traderentur aquâ illâ plenæ, adstantibus insuper, qui hastam & acinacem evaginatum ipsis intenderent, multaque turpia & fœda verba in illos jactarent. Anxia mulier cum neque vitam cum morte commutare neque ab hisce tormentis ulla aliâ ratione liberare se posset, tandem fidem Christianam deseruit. Hanc historiam ideo paulò prolixius proponere consultum duxi, ut ex illa de aliis plurimis crudelitatis & horrendis exemplis quilibet colligere queat: tædet enim de illis plura adducere.

Summatim ut dicam, Gubernator Onemendonne omnes Christianos spatio quadraginta quinque vel sex dierum extirpavit, sine ulla sanguinis profusione aut nece, (unico tantum puerulo excepto, de quo antea dictum) quod ante eum qui fuerant Rectores, sedecim annis haud poterant multis mortibus effectum dare. In nullis tormentis adhibuit iudices civitatis Nangasacques vel Arrimæ adesse voluit, ut sibi soli solidam hanc laudem vindicaret. Neque verò amore aut benevolentiam erga Christianos inducti vitæ eorum pepercerunt, neque quod illorum mactationes religioni sibi duxerint, sed ad martyrii occasiones rescindendas, cum illius magnam esse apud Romano-Catholicos Christianos æstimationem cognorint.

Sacerdotem haud potuit nancisci, quanquam multam in ejus caput constituerit pecuniam si quem nactus fuisset, eadem ratione eum vexaturus ferebatur & tam diu excarnificatu-

caturus donec abnegaret sacerdos, quod magno illum affecisset gaudio.

Postquam omnes jam descivissent, singulos patres-familias scripto testari & consignare iussit, quod neque ipsi Christiani essent, neque Christianos adibus suis foverent. Dominus Melchior a Santvoort & Vincentius Romeyn subscribebant, quod Hollandi essent, neque porro quicquam ab illis postulabatur. Hæc acta sunt, cum ego & Wilhelmus Iansz. Nangasacque commoraremur: inde profecti sumus & rediimus Firandum die vicesimo tertio Septembris: & hoc tempore, itineris faciendi tam terra quam mari singulis reddita est libertas. Gubernator Onemendonne hac causâ occupatus dum esset, nulla alia voluit admittere negotia aut querelas. Ultimis Septembris diebus dimisit à se milites suos in suam provinciam, retentâ consuetâ ministrorum cohorte: & jam tum antequam nos inde abiremus, quotiæ recreandi animi ergo in hortos, quorum magnus est circa Nangasacquen numerus, se proferebat, quasi triumpharet de magni momenti transacto negotio.

Sic itaque comparatum est cum Romano-Catholici Christianissimi in Japonia interitu, qui sedecim abhinc annis quatuorcentena millia cultorum adeptus erat. Quantus sit eorum, qui hoc anno abnegaverunt, numerus, non satis exploratum habemus. Cum ego anno M. D. C. XXVI Nangasacquen venirem, numerabantur eorum adhuc quadraginta millia, quorum nè unus quidem jam superest: (anno M. D. C. XXIX.

Hæc Rejeri Gysberti narratio est de crudeli illa Japonica Persecutione & extirpata religione, cui, quoniam ea tantum describit, quæ ipso præsentate gesta sunt, fidem derogare haud jure possumus. Interim omnino non deletos fuisse anno XXIX Christianos in Japonia, ut Rejerus in fine historię suæ extimasse videtur, docet nos Descriptio Caronii, quæ post annum quadagesimum hujus seculi exarata est. In illa de persecutione ista leguntur Belgico sermone hæc, quæ latina reddidimus: Christianos, inquit quondam decollare postea cruci affigere consueverant, quæ eo tempore gravis visa fuit pœna. Cum autem Christianos hilari animo cantantes & ridentes mortem oppetere cernerent, neque ullus appareret necis assidua, quâ triginta, quinquaginta, imò centum aliquando uno die tollebantur, terminus, constituerunt, gaudium & cantationes in ejulatus & lacrymas commutare; ideo quosdam palis alligatos cremarunt, alios cratibus impositos torrere aggressi sunt, quibus leti generibus aliquot millia hominum interempta fuere. Sed cum nè hac quidem crudelitate quicquam efficerent, multique quotidie restarent mactandi, ipsos tandem ejus tædium quoque cepit: Unde constituerunt, eò usque sævis & horrendis eos excruciare modis, donec

donec desciscerent. Teneras virgines & uxores toto nudas corpore manibus pedibusque per plateas urbis in conspectu totius civitatis incedere cogebant vel etiam ligatas trahebant, à nebulonibus stuprari sinebant: deinde ita nudas in prægrandes ligneas cupas plenas serpentibus imponebant, quæ in pudendas illarum corporis partes irrepebant ingenti cum dolore foeminarum, donec ex veneno vel dolore morerentur. Impleverunt etiam quarundam (pudet referre) vulvas fomite, quali in ignariis utimur, eodemque genitalia filiorum obduxerunt, atque ita cum patre atque filiabus quoque actum est: deinde alterum in alterius fomitem ignem inferre attractâ ipsius manu cum violentia effecerunt, ex quo gravissimos passæ sunt dolores.

Ad ferventes aquas adducti sunt, & circumpositis corporibus eorum cespitibus assidue aqua ista in illos effusa fuit, quo cruciatus genere, tertio ferè vel secundo interdum die expirabant. Integræ eorum cohortes & turmæ quinquaginta, imò centum numero hominum nudi in sylvestria & agros fugabantur, omnes cauterio frontem inusti, unde deinde cognosci poterant, atque singulis sub amissione vitæ interdicitur, ne illis vel quicquam ciborum, vel tegmina vel ædes suppeditent. In littore maris fudeta collocata sunt, quibus includebantur multi Christiani teneræ & provecæ ætatis. Hi alternatim prout mare fluit & refluit, dimidio tempore à mari cinguntur, reliquo dimidio in sicco commorantur, atque hisce conceditur cibo uti & potu, ut eò diutius excarnificentur, quod in plerisque ad duodecim vel tredecim dies extenditur.

Obcæcarunt patres matræque, & adductos pone eos infantes toto die & nocte vario & sævissimo exercuerunt cruciatuum genere, quibus afflicti infantes assidue non sine lacrymarum rivis clamabant: Miserere mei, mi Pater, mea Mater! libera me de his cruciatibus, qui indefinenter mihi sustinendi sunt, nisi abnegaveris fidem! ah Mater, mater juva me obsecro, juva! Hisce planctibus & liberorum suorum tormentis parentes obcæcati maximâ affecti sunt animi ægritudine adeo ut corda eorum dirumpi & lacerari viderentur, & nonnullos præ magno dolore vita deseruerit, dum illi fidem deserere recusarunt. Exscindebant etiam unguis tam in manuum quam pedum digitis; terebrabant insuper tam in brachiis quam cruribus ossa. Omnes verò tormentorum formas recensere, cum adeo variæ fuerint, nimis longum foret.

Plerique autem Christianorum magnâ constantiâ ea perpessi sunt, exceptis nonnullis qui desciverunt.

Quovis anno unum in omnibus provinciis instituitur examen, quod recenti Cæsaris mandato confirmatum est, ad quod singuli incolæ in templa convenire tenentur, inibique unusquisque suo san-

sanguine in librum, qui ibi asservatur (*Kercken-bocck*, dicit Caronius) inscribere vel per alium inscribi curare cogitur, quod ipse Christianam fidem abneget, & Japonicæ religioni addictus sit. Nihilominus Christianismus haud desit, sed singulis annis aliquot centeni deprehensi & sævis torturis enecati.

Tandem excogitarunt novum sævitæ genus, quo Christianos suspendebant pedibus sursum elevatis & patibulo alligatis capite deorsum pendulo ita ut umbilico tenus in foveam quandam corpus immitteretur: metuentes autem nè sanguine suffocarentur, cutem capitis decussatim discindebant, per quas scissuras sanguis exstillando exitum inveniret: quod jam fieri desit, ubi dissecto tantum ventre suspenduntur, ex quo cruciatu, nono vel decimo circiter die moriuntur, ad extremum usque spiritum cum ratione verba facientes. puella quædam, duobus abhinc annis, decimo quarto demum die animam exhalabat: sed plerique citius intereunt. Maximus & ingens ita suspensis ad pedes cruciatus adeit, neque crudelior describi vel excogitari potest tortura, ita ut omnes Christianos ad apostasiam facie cogeret, nisi divinum illos animaret auxilium. Intolerabilis enim censetur illa, quæ inde oritur, anxietas, de qua mihi satis constat, quoniam sæpe cum quibusdam familiariter sermonem habui, qui duos vel tres dies illam torturam perpessi, cum sustinere diutius non valerent, abnegaverant fidem, mihi que sanctè affirmabant, quod neque ignis violentia neq; ullum aliud carnificinæ genus cum hac anxietate vel comparari mereatur.

Quoniam itaque hoc tempore Christiani ferè omnes deleti, & rari admodum erant, nova promulgata est à Cæsare lex, nimirum, si Christianus aliquis deprehensus & ad patibulum damnatus alium indicet seu prodatur Christianum, illum dimittendum & in pristinam libertatem restituendum esse: quæ ratio hoc tempore observatur. Apostasia quippe jam nihil eis prodest ad vitam servandam, cumque ingentem anxietatem suspensi superare nequeant, alios ut prodant, incitantur. Hoc artificio tandem aliquando Christianismus eradicatum iri existimant Japonii.

Omnium Christianorum, qui vel ante hac desciverunt vel proditione alterius Christiani servati sunt, nomina accuratè in Indicem referuntur, nè quis elabi vel ignorari possit, eo consilio (quod à fide dignis accepi) ut omnes illos uno die interimant, ubi paucissimos vel nullos amplius superesse deprehenderint.

Leprosorum quoq; tuguria in omnibus provinciis hoc tempore visitabantur, & trecenti octoginta quinque Christiani in eis deprehensi, qui duabus impositi navibus cum quibusdam Lusitanis ad Philippinas tanquam honorarium donativum (*tot een Present*) missi sunt.

Olim

Olim cum Christiani ferro, cruce vel igne punirentur, scilicet quibusdam pueris ad preces aliorum vita concedebatur, quo casu aliquoties res admiratione digna visa fuit, cum pueri octo, novem, pluriusve annorum, quibus vitæ potestas data erat, magno animo illam repudiarent dicentes: Nolumus vivere diutius neque mortem timemus: isthic esse cupimus, quo parentes nostri tendunt, ad illa gaudia, ubi vos nullam potestis afficere tristitia. Alii pueri, quibus non tantus erat animi vigor sed vitam acceptabant, a parentibus magno zelo & impetu ad ignem vel ferrum retracti sunt hocce addito solatio: Nolite, obsecro, charissimi liberi diutius cum his malis hominibus vivere: deducemus vos in amoenissimam terram, ubi perpetuis fruere gaudiis. Atque cum hisce pariter mortem oppetebant. Hæc Caronii de Persecutione ista narratio est.

Cæterum eo ipso, quo hæc scribo, anno percontatus sum a Belgis quibusdam, qui modò ex Japonia Amstelodamum cum navibus Societatis delati erant, (etsi non continuo itinere, hoc quippe nunquam contigit) quis hodie esset Christianismi status isthic locorum? Illi mihi retulere ita: nullum jam ab aliquot annis deprehensum esse Christianum, neque sibi quenquam innotuisse, neque aliquos superesse existimandum esse.

Præterea magnam solertiam & curam adhiberi, non tantum ne per externos & adventantes mercatores aut nautas denuo introducatur Christianismus, sed etiam ne ullum ejus exercitium in Japonia peragatur. Constitutos esse à Cæsare Præfectos & Inspectores, qui appulsas Belgarum naves scrutentur (de quo cap. xxvii præced. lib. jam diximus) si quos libros typis impressos repperint, eos auferant, etsi ipsi Belgæ ultro eostradere teneantur: si contrarium illos fecisse innotescat, vitæ omniumque mercium amissione puniri: atque eandem poenam illos quoque manere, si in conspectu Japoniorum manibus complicatis preces ad Deum effundere vel ullo alio Christianæ religionis ritu uti attentent. Dissimulandam enim eis esse religionem, & pro ethnicis quoque haberi à Magistratu Japonensi. Quam Belgarum ipsorum confessionem vanam haud esse, luculente probat epistola illa, quæ à Japonio Consule civitatis Nangasacque nomine Iebia Siragemon donnes ad Prætorem Belgicum in India missa ex Japonia est, scripta verò ab eo anno M. D. XLII, die xxvi Octobr. & cum Descriptione Caronii edita jam in lucem. In illa inter alia hæc leguntur.

Japonicæ leges justæ sunt, sed rigidiores aliquantum & severæ, imprimis quæ ad Christianismum directæ sunt.

Verum cum Hollandi (hoc enim speciali nomine Belgæ Federati tota fere Oriente appellantur) multis jam annis quibus in Japonia commercia exercuerunt, nunquam de propaganda Christiana

stiana religione quicquam attentaverint nec de ea solliciti fuerint, sed quieti studuerint, Magistratus illud cognitum probè habens concessit ipsis liberum ad Nangasacquem negotiandi ergo aditum, qui locus non alicujus Dynastæ sed ipsius Cæsaris est, ubi omnibus peregrinis nationibus mercaturam facere licitum est: Si vobis idem facere libet, omnia bene se habent. Subditis autem vestris in Japoniam mittendis, iisque qui hic remanebunt, mandabit, ut bene sibi caveant ab exercitio cultuque externo religionis, sed ut Christianismum celent & tegant: & postquam Japonenses leges rectè cognoveritis & observaveritis, omnia vobis concedentur, quæ petetis, imò ultro offerentur: si verò in literis vestris ad Magistratum Japonensem scriptis denuo quicquam de Christianismo petieritis, malè vobis succedet, quemadmodum etiam, quamdiu apud Hollandos aliquid, quod Christianismum redoleat, peragetur, nihil impetrabunt, quicquid etiam petierint. Si compertum foret, quod ad Christianismum conniveremus ulla vel minimâ ratione, nos, Syroye Mondonne, Interpretes & omnes in Insula hac commorantes (Kisma est parva insula in Nangasacque, in qua ædes hujus consulis fuerit) ipsaque Insula funditus deleberemur. Si itaque consultum duxeritis, jubere vestris ut Christianismus secretò habeatur neque ejus quicquam conspiciatur, impetrabit omnia quæ rogabit, ab oneribus immunitatem, majorémque autoritatem vobis comparabit. Nangasacqui multò est commodiori situ quam Firando, & majori lucro Societas illic quam in Firando commercia exercebunt: quoniam autem rigido regitur imperio, molestiæ id aliquantum creabit.

Verum si vestris imperabit, ne quicquam rei Christianæ huc afferant (libros indicat, ut opinor) neque de fide Christiana verba faciant, in grandem excrescetis truncum, multisque erumpentibus germinibus in perpetuum florebitis, &c. Hæc ex Consulis Japonensis epistola desumpta apertè & clarè ostendunt id quod à Belgis mihi narratum erat: ut ex hisce detestabilem impiamque Magistratus diligentiam in arcenda religione Christiana: & execrandum erga eandem odium colligere possimus, quippe cui non satis videbatur, crudelissimis in innocentes Christianos sævisse tormentis, nisi etiam ingenti cum rei Christianæ opprobrio, externis populis, qui in eam fidem baptizati, & educati sunt, ejus exercitio interdixissent, adeoque hypocritas eos effecissent. Verum de hoc negotio jam desinamus, re quorundam lucrum magis quam rei Christianæ studiosorum aures dedita opera videamur offendere.

Quænam autem res Persecutioni isti occasionem dederit, non immeritò aliquis quærat: sed de eo nihil ausim certò affirmare, cum Pontificii omnino ejus nihil, quod sciam, ediderint in publicum,



blicum, (quod eo magis mirandum est, quo majorem ex mar-  
tyribus Japoniæ nacti sunt religionis suæ extollendæ materiam)  
Belgæ perparum. Hagenerus in Notis ad Caronium p. 32. ita  
loquitur: Japonii valde Romanæ Ecclesiæ cæremoniis capiebantur:  
unde factum est, ut felici successu Pontificii in eam intru-  
lerint religionem suam, latèque propagaverint; quin etiam splen-  
dida & magna templa in Nangasacque suscitaverant. Sed  
Hispanorum arrogantia & ambitiosa superbia effecere, ut Ja-  
ponii (Magnates) eos odisse cœperint: cùmque iidem Casti-  
liani vim adhibere conarentur, naves illorum expugnatae sunt,  
ferro flammâque ipsi interempti, non sine multorum Japoniorum  
cæde.

Alius Belga, nomine Leonard Campen in eo scripto, quo e-  
molumentum Japonicæ negotiationis patriæ suæ commendat &  
describit, quodque Descriptioni Caronii adjunctum est, hæc de  
illa causa commemorat: Hispani, inquit, non contenti lucro ex  
commerciis Japonicis hausto, totum insuper regnum religionis  
sua ita inficere allaborarunt, ut hujus beneficio ipsam regni ma-  
jestatem & Dominium sibi vendicarent. Verùm cum illud jam  
se consecutos arbitrarentur, neque quicquam amplius deesset illis  
quam Dux & caput, Deo aliter visum fuit & impediti sunt per  
Hollandica Instrumenta. Sic Belga loquitur, neque explicat,  
quænam illa Instrumenta fuerint, puto autem illis significari, quod  
Belgæ Hispanorum conatus ad Cæsarem detulerint, de illorum  
tyrannide in patriam suam edocuerint & quid aliis in regioni-  
bus iidem machinati sint, declaraverint, ut nimirum Hispani  
expulsis ipsi commercia Japonica sibi solis acquirerent, cum eo tem-  
pore inter Belgas & Hispanos odia capitalia essent.

Ex hisce jam colligere possumus, præcipuam illius Persecutio-  
nis sævissimæ causam fuisse insatiabilem Hispani cupiditatem Im-  
perii in omnes Occidentis & Orientis provincias Insulæve ac-  
quirendi: qui cum accessione Lusitanæ & cum ea plurimis In-  
diæ locis ad jacentibusque Insulis & urbibus potentior factus es-  
set, Japoniam quoque suo adjungere Imperio cupierat. Hoc ta-  
men super dubiam Belgarum fidem fundatum non propono ut  
exploratum seu certum. Aliæ causæ quoque procul dubio ac-  
cesserunt, nempe. 2. Anglorum & Belgarum Hispano minus  
faventium obtreccionem, & studia, quibus Cæsaris Japonii & Re-  
gum animos, ab eis abalienarunt, sibi autem devincire stude-  
runt. Nam quod Xaverius de Lusitanis mercatoribus conquestus  
est, id in omnes ferè quadrat, nimirum arbitrantur se continuo  
decocturos esse, si conscientia & religionis habeant ubique ratio-  
nem. 3. Hispanorum superbia. 4. Bonziorum, qui nomini Chri-  
stiano infensissimi erant hostes, calumniæ & delationes, quibus His-  
panos apud Cæsarem gravabant. 5. Ipsius Cæsaris erga Bonzios

bene-

benevolentia, erga Christianos odium. 6. Dynastarum avaritia  
& invidia. Qui cum singuli mercimonia Lusitanica & Hispani-  
ca in sua territoria pellicere haud possent, aliis scilicet inviden-  
tibus & Christianis minus favebant. 7. Quod Lusitani & His-  
pani ferè cum Christianis tantum Japoniis, non vero aliis mer-  
cantiam facerent: ob quam causam reliqui Japonii & illis &  
religioni Christiani minus favebant. 8. Conciones Sacerdotum,  
quibus ad seditionem & rebellionem auditores videbantur inci-  
tari, qualia etiam literis consignabant: quod jam in principio  
introducæ religionis facitabant. Sic enim legimus in epist. Ind.  
p. 68. Missæ sunt aliquot à Meacensibus illis neophytis ad Bun-  
genes Christianos epistolæ, quarum una duodecim circiter pa-  
ginarum, magnam harum regionum Christianis attulit volupta-  
tem, sæpiusque descripta, omnia Christianorum loca percurrit &  
simul etiam recitabatur, ethnicis. Summa erat epistolæ, festarum  
Japoniæ omnium (quæ plus undecim sunt) expositio simul &  
confutatio, cum religionis Christianæ confirmatione: nec verò  
pacatas usquam res Japoniorum fore, quoad omnes fierent Chri-  
stiani atque id ipsum multis apertisque rationibus probabatur.  
Hæc ex Almeida epistola. Similia pro concione dicta esse, in  
Xaverii epistolis habetur, & ex hoc colligere est sæpius id fa-  
ctum. Cæteram de causis & origine hujus Persecutionis, Pon-  
tificii Religiosi, qui in Lusitania degunt, cum absque omni dubio  
eam accurate conscriptam asserent, optime poterunt harum re-  
rum cupidos edocere, quod etiam illos hoc bello admonitos  
puto esse facturos.

F I N I S.

Q 2

A P.



A P P E N D I X  
D E  
R E L I G I O N E  
S I A M E N S I U M .

*Ex Descriptione Belgica Iodoci Schoutenii.*

**Q**uod ad religionem attinet, Siamenses non minus ac adjacentes populi ethnici sunt & superstitioni Idolorum atque fictorum Deorum cultores. Hinc inde per totum regnum multa templa majoris & minoris formæ conspiciuntur, ut etiam cœnobîa, partim ad cultum Deorum, partim ad habitationem Sacerdotum exstructa ex lapide & ligno, magno artificio & elegantia, nec minori sumptu, additi ad splendorem augendum multæ turres inauratæ & pyramides. Singula templa & cœnobîa incredibili Idolorum & statuarum numero exornata sunt diversæ magnitudinis & ex diversis materiæ speciebus facta, inaurata, ornata quam magnificentissimè, ita ut aspectu exteriori perquam elegantia & pretiosa appareant. Quædam Idola quatuor, sex, octo vel etiam decem ulnas longa sunt: inter alia quoddam magnitudinis incredibilis, sedentis habitu, quod si erigeretur, saltem ad viginti ulnarum vel centum viginti pedum altitudinem asurgeret.

In hisce templis & cœnobîis multi degunt religiosi ad cultum Deorum, distributi in certas classes, præpositis & Prioribus & aliis ecclesiasticis Præfectis constitutis, (non sine necessaria disciplina & debita obedientia:) qui omnes Reктору seu Præposito aut Episcopo metropolitani Templi in urbe India parere tenentur, cujus potestas in Religionis causis maxima est, ut ideo tam

à ple-

à plebe quam Magnatibus magno afficiatur honore & reverentiâ: in rebus tamen politicis Regi subjectus est. Omnes religiosi (quorum in una urbe India ad minimum numerantur triginta millia) sine ullo discrimine vestiti sunt vili lineo panno flavi coloris, & capilli detonsi. Doctiores ex illis eliguntur ad Sacerdotum munus, ex quibus deinde creantur Episcopi seu Præpositi Ecclesiarum, quos populus suspicit & veneratur, atque hi festis & designatis diebus conciones habent ad populum, rudiores informant, & Diis sacrificant: conversatione cum fœminis interdictum illis est sub pœna combustionis: sed, quandocunq; placuerit, religiosum habitum exuere atque vitæ hoc genus mutare licet (quandoquidem hominum impotentiam in hoc negotio leges agnoscunt) quod sæpissimè a multis fit propter voluptatem vel ex libidine.

In singulis cœnobîis (quæ juxta templa pro habitatione religiosorum ædificata sunt) mane & vesperi à Præpositis, Sacerdotibus, Clericis & laicis statutâ horâ cantatur vel ex sacris scriptis prælegitur. Victus illis suppetit ex variis redditibus, quos Rex & Magnates loco elemosynæ illis largiuntur, & ex fructibus, quos hæreditarii fundi Templorum ferunt: sed præcipuè ex donationibus & sudore populi, qui illis de victu & amictu abundè & communi promptitudine prospicit: ad quorum collectionem singulis diebus matutino tempore ex singulis cœnobîis aliquot Sacerdotes vel monachi (ut monachi Franciscani, quos Minimos *Minnebroeders* vulgo vocant, facere in locis Pontificiæ Religionis consueverunt) ablegantur cum peris mendicariis. Præter hosce Religiosos masculini sexus, inveniuntur hic quoque circa præcipua templa in exstructis huic fini ædiculis multæ vetulæ moniales detonsis capillis, vestitæ albo lineo panno, quæ maximam temporis partem hic commorantur, ut singulis concionibus, Cantationibus, cæremoniis, aliisq; cultibus & ritibus Ecclesiasticis intersint idq; magna cum devotione & libero ex arbitrio cum nullis Regulis vel legibus adstringantur.

Communis ethnicis hisce fides est (etsi in multis dogmatibus differentes sequantur opiniones) quod unus sit supremus Deus, & juxta eum multi minores Diî in cœlo, qui omnia in hac mundi universitate creaverit: præterea animæ humanæ credunt immortalitatem, & juxta merita quemlibet (prout mala vel bona egerit in vita) præmia vel pœnas laturum: pios & justos ubi è vitâ hac migraverint, in Deorum sedes assumptos perpetuis frui gaudiis, maleficos autem & scelestos sævis modis à Diabolis cruciari & torqueri. Hoc est præcipuum fundamentum Religionis eorum, quam affirmant ante multa secula sacris literis consignatam & multorum sanctorum Doctorum testimoniis confirmatam, quorum statuas tanquam parva Idola in templis constitutas su-

perstitiosâ veneratione colunt, atque hoc cultu, & eleemosynis distributis inter pauperes, religiosos, factisque donationibus ad certa templa & cœnobia, & misericordiæ operibus erga omnia, quæ vitam acceperunt ethnici hi docent & student æternam salutem sibi comparare atque crudelia Diaboli tormenta effugere. Qui religionis studio flagrant, diligenter ea præstant, adductaq; diebus festis ad templa captarum avium & piscium multitudine, libertate illos donant ex charitate, qui in hunc finem magno numero venduntur & emuntur. Non enim hominum tantum, sed etiam omnium animantium cædi peccatum inesse existimant, quandoquidem Homericam animarum transmigrationem secuti multorum defunctorum hominum animas in alia animalia migrasse persuasi sunt. Omnia turpia & inhonesta, quæ homines plerumque naturali instinctu vitare solent, & hic peccata censentur, nihilominus tamen sæpe variisque modis patrantur, etsi Religiosi & concionatores suis sermonibus ad populum assidue & magno zelo illos dehortentur & increpent.

Præcipui ritus & cæremoniæ, quibus cultum Diis suis præstant, sunt, ut ex parte jam in prioribus commemoravimus, conciones, catechismi, cantilenæ horis matutinis & vespertinis, sacrificia à religiosis oblata, quæ adhibitis multis candelis, suffitibus ex thure, sparsis herbis & floribus, in templis coram statuis factorum Deorum peraguntur. Idola enim hæc, ut opinantur, repræsentat supremum Deum, Deos minorum gentium, & sanctos defunctos viros seu Divos, qui hunc cultum scriptis & legibus suis mandaverunt: Unde etiam arbitrantur, hisce mediis Deorum Divorumque indignationes super hominum peccata sedari & evitari. Atque ideo in plenilunio, novilunio & quadrantibus Lunæ quatuor dies festos agitant & præterea alios extra ordinem & præcipuos diversis anni temporibus, qui magno hominum affluxu celebrantur, nec solennis magnificentia deest. Insuper singulis annis per tres menses abstinent ab omnibus cibis, qui ab animalibus desumpti sint.

Supplicanti etiam Diis pro ægrotis suis & defunctis, quos superstitiosâ ratione tondent, (cognatorum etiam capilli refecantur) unguentur, adjurant multisque solennibus ritibus, ut planctu, variorum instrumentorum Musica, eleemosynarum distributione, Sacerdotum pro demortuis supplicatione, comœdiis, ignivomis machinis, aliisque pompis (pro dignitate & facultatibus demortui) juxta templa igne comburunt combustorumque collectos cineres unguentis irrigatos templis vicino loco sepeliunt, & si opulenti fuerint elegans pyramis sepulchro super imponitur. Unde fit ut in hæc funera magnæ expendantur pecuniæ.

Erga eos, qui alias sœvent de rebus divinis opiniones, tam Religiosi quam laici modeste se gerunt neque acriter in eos invehuntur.

huntur. Ità enim censent, quod etsi discrepantes religiones sequantur, modo bonis operibus studeant vitamque honestam agant, cœlestia gaudia consecuturi sint, quodque summo Deo omnivarii cultus grati & accepti sint, inprimis ii quos ipsi præstant, de quibus aiunt manifesta in sacris libris quos possident, extare testimonia.

Atque hæc causa est, ut neque ad Christianam neque ad Mahometanam religionem (namque hæc in multas Orientis Insulas & regna propagata est) facili negotio adduci possint, sicut experientia hæctenus testata est, cum neque Lusitani, etsi varii Ordinis Religiosi tentarint suam religionem hic introducere, quicquam quod commemoratione dignum sit, effecerint neque Mahometani Alcoranum proficentes multis annis aliquid promoverint: quamvis utrisque liberum Religionis exercitium concessum sit.

Quamquam autem hi ethnici valde addicti sint cultui Deorum, nihilominus tamen timore metûque impulsî aperte quoque venerantur (contradicientibus & impugnantibus multis Religiosis) Diabolos inferni Dominos, quos arbitrantur omnium malorum auctores esse non minus ac Deos bonorum: atque ideo morbis correpti vel aliis adversitatibus pressi offerunt Diabolis fructus & animalia idque cum miris solennibus ritibus, musica aliisque cæremoniis. In hisce sacrificiis abominanda & nefanda non pauca sensus eorum feriunt, qualia hominem Christianum oculis usurpare nefas existimo. ethnici autem magnis erroribus involuti capitalem hostem & Tyrannum placare iis conantur, & revera quoque ut videtur, placant, quandoquidem ab Omnipotenti Deo jam satis superque rejecti & Diabolorum potestati relictî sunt, ut Schoutenius inquit.

F I N I S.


Q 4

BRE-

BREVIS  
**Informatio**  
DE  
DIVERSIS GENTIUM  
RELIGIONIBUS.



DE  
DIVERSIS GENTIUM  
RELIGIONIBUS.

1.  Uemodmodum priori libro de regno Japoniæ præ-  
missimus quædam ad Respublicas in genere spe-  
stantia & de diverso diversarum regionum re-  
gimine, ita huic de statu Religionis in Japonia  
Tractatui adjungemus enumerationem diversarum  
Religionum, quibus totius telluris incolæ inter se invicem dissident.  
Quam nostram operam lectoribus gratam fore speramus.

2. Possunt itaque populi totius terræ respectu Religionis dividi  
in Religiosos sive Deum quendam, adeoque aliquam saltem re-  
ligionem agnoscentes & in Irreligiosos seu atheos (ut ita liceat  
loqui cum vulgo) qui nullum venerantur Numen. Verumenim-  
vero etsi hæc divisio legibus Logicis sit conveniens, tamen quia  
hac ratione Ethnici comprehenderentur cum revelatæ doctrinæ cultoribus  
sub eodem genere, quod inconveniens videtur, ideo aliter Di-  
visionem hanc instituemus.

3. Nimirum, populi quidam profectam à Deo ter opt. max.  
Scripturam observant, reliqui ejus expertes sunt. Atque hi po-  
steriores omnes uno vocabulo dicuntur Ethnici: priores autem  
uno vocabulo generali carent, neque hoc sine causa, quando-  
quidem magnopere discrepant: quamvis etiam alia hujus ratio  
reddi possit, nimirum cum olim soli Israelitæ revelatam doctrinam  
tenerent, & reliquæ gentes (Græcis ἔθνος est gens) ejus expertes es-  
sent, factum est ut gentilismus seu ethnicismus revelatæ doctrinæ  
ignorantiam denotaverit: & quia post multa tandem secula aliæ re-  
ligiones in revelata doctrina ortæ sunt, non impositum illis est com-  
mune vocabulum.

4. Sunt autem horum revelatæ doctrinæ Cultorum tria genera,  
Judæi, Christiani & Mahometani.

Judæi Veteris tantum Testamenti Scripturam sacram recipiunt  
Christum



Christum verò promissum illum Messiam & unicum mundi Redemptorem turpiter rejiciunt. Christiani Veteris & novi Testamenti libros observant. Mahometani præter veteris novique Testamenti (in quo tamen corrigendo magnam sibi sumit libertatem) libros, etiam impostoris Mahometis fictitia dogmata & mendacia recipiunt.

5. Ex tribus hisce generibus, Judæi parum inter se invicem dissentiunt, certè non tantum ut diversas sectas faciant. Neque inter Mahometanos magna est in religionis capitibus discrepantia (de qua re postea plenius dicitur) Sed Christiani in multas distracti sunt sectas non minus in primitiva Ecclesia, quam hodie.


6. Vetus est Ecclesiæ Christianæ divisio in Græcam sive Orientalem & Latinam seu Occidentalem eo tempore orta, cum Græci & Asiatici à Pontifice Romano dissentire cœpissent. Græca dicitur, quæ in Orientalibus ab Europa regionibus viget, & diversam à Romana religionem fovet in nonnullis. Romana autem seu Pontificia religio quæ sit, nemini puto ignotum esse ex literatis.

7. Cæterum cum hodie in Europa præter Pontificiam & Græcanicam aliæ quoque religiones floreat, nec hæc omittendæ sunt, nimirum Lutherana & Reformata, quibus annumerandæ infames Anabaptistarum & Socinianorum sectæ, & aliæ minus illustres.

8. Græcanicæ quoque Ecclesiæ membra quæ sunt, Abassini, Moscovitæ, non in omnibus consentiunt inter se invicem, ut postea dicitur, imprimis si Armenios, Georgianos, Nestorianos aliósque, qui in Asia reperiuntur, addere velis. Etsi enim Græcæ Ecclesiæ propriè ita dictæ membra non sunt, tamen ad Orientales referendæ sunt hæc sectæ: sicut Anabaptistæ, Sociniani Occidentalibus Christianis annumeramus.

9. Ethnicismus varias habet adhuc species, etsi olim longè plures, quarum magnus numerus magno bono interiit, ut Romanorum, Græcorum, Persarum, Gallorum, Germanorum, Gothorum, &c.

Respectu



Sed nos de illis tantum speciebus, quæ hoc seculo miseros mortales tenent, loquemur.

10. Complectitur autem Ethnicismus quatuor genera. 1. Homines feros, sylvestres & atheos, anthropophagos, qui sine ulla Dei & Numinis cognitione vivunt. 2. Illos qui stellas colunt, imprimis Solem & Lunam. 3. illos, qui multos venerantur Deos. 4. Illos, qui unum quidem Deum venerantur supremum, sed cum eo plures neque ex revelata Scriptura sacra.

Ad quartam hancce & tertiam classem referenda est 1. Chinesium religio. 2. Brachmanum in India. 3. Japoniorum. 4. Guinæ incolarum in Africa & vicinorum populorum. 4. Monomotapæ religio. 5. Americanorum quorundam religiones. 6. Samojedæ ad fretum Weigats 7. Persarum, qui in India adhuc com-

commorantur & antiquam Persarum religionem retinere videntur. Ad Chinesium & Brachmanum Indorum Religionem referendæ sunt vicinarum gentium tam in continenti Indiæ, quam Insulis multis adjacentibus, ut Java, Borneo, Sumatra, Cellano, Baldivis, Moluccis, &c. religiones, quoniam ex illis duabus reliquæ omnes derivatæ videntur.

11. Ad faciliorem horum, quæ diximus, comprehensionem, tabella quadam hic è regione inserta, ea comprehendere duxi consultum.

12. Circa divisionem hanc notandum est. 1. Judæorum nomine illos quoque intelligi, qui Judaicæ religioni addicti in Orientalibus regionibus, Persia, China, India commorantur magno numero. Etsi enim in China non vocentur Judæi, sed Israelitas se esse fateantur, adeo ut ipsi appellationem Judæi ignorent: tamen hi Israelitæ cum nostris Judæis eandem tenent religionem, atque Pentateuchum, aliisque Veteris Testamenti libros asservant. Quod autem Israelitarum, non Judæorum appellationem gerunt, id ex eo est, quoniam hi sunt ex illis decem tribubus, quæ à Salmanassare Rege Assyriorum, anno ante Christum natum septingentesimo & vicesimo abductæ ex Palæstina in Assyriam, deinde progressu temporis per omnia Orientis regna dispersæ sunt. Dicebantur autem decem hæ tribus jam tunc temporis cum in Palæstina adhuc agerent, Israelitæ, non Judæi, quoniam hæc appellatio demum post Israelitas abductos coepit esse generalis & communis incolarum Palæstinæ legem Mosaicam observantium & ad Jacobum genus referentium. Etsi autem in levibus quibusdam rebus Judæi a se invicem discrepent, ea tamen differentia tanta non est, ut diversas sectas efficiat.

Secundò. De atheis quidam dubitant, alii omnino existere eos negant, atque cum Cicerone putant, nullos dari tam feros homines, qui non aliquem agnoscant & venerentur Deum. Nos illis opponimus manifestam & cui cum judicio contradicere nequeunt, experientiam. Multos ex Græcis Philosophis homines certè haud quaquam feros, negasse omnes Spiritus & Dei existentiam vel saltem de iis dubitasse, testantur antiquitatis Scriptores: & Protagoram quidem ab Atheniensibus eam ob causam civitate pulsum esse Diogenes Laërtius & alii clarè affirmant.

Non jam dicam de illis, qui quanquam inter Christianos versentur, tamen athei sunt, sed de remotis populis agamus. In descriptione Religionis Japonensis narravimus tam ex Jesuitarum quam Belgarum annotationibus, quod multi hic reperiantur, qui nullam divinitatem credant, nempe illos, qui ex Ienxuana hæresis sunt. Præter hosce dari feros & sylvestres populos, (quorum plerique sunt anthropophagi & sine ulla Republica) qui nullum  
Dei

Dei cognitionem habeant satis superque per navigationes comprobatum est, nimirum in populis totius Brasiliæ, populis circa fretum Magellanicum, ad Promontorium Bonæ Spei, partè Insulæ, Sumatræ Australi, item in Madagascare Insula & Hornæ insulis ad novam Guineam. Etenim qui navigationem navarchi le Maire circa totam tellurem per fretum ab eodem le Maire dictum descripsit, atque in hisce insulis multos dies commoratus est, ita loquitur: Non potuimus, inquit, ex ullis indiciis colligere, quod hic populus Deum aliquem colat: vivunt sine omni cura, ut aves in sylvis, neque emendi vel vendendi illis mos est: neque serunt neque metunt, nec aliis laboribus fatigantur: tellus ipsa sine cultu largitur eis, quæ ad vitam sustentandam sufficiant, nempe Cocos, Urbes, Bananas & similes fructus: ex animalibus porcos tantum habent Hæc in illa Descriptione.

De Brasilianis anthropophagis narrant historiæ, cum Europæi aliquando sumptâ occasione à vehementi tonitru, existentiam Dei huic genti persuadere conarentur, illos non erubuisse impudenter respondere, talem Deum nequam esse oportere, utpote cui volupe esset hominibus terrorem incutere.

Tertiò. Ad ethnicismum quoque reducendi essent illi, qui à Scriptoribus quibusdam commemorantur adorare animalia, plantasque. Sed ego huic narrationi nunquam potui fidem adhibere, neque existimo dari gentem eâ judicii debilitate. Et quam falsæ sint Scriptorum hisce de rebus annotationes, ex eo possunt colligere, quod Romani Scriptores & quidem præclari, non veriti sint Judæis ascribere venerationem porci, atque hoc nomine demeriti eos arguere; quo quidem commento quid falsius aut ineptius esse dicemus?

13. Hisce de Divisione Religionum præmissis, jam ordo postulat, ut singularum regionum religionem enumeremus, & primo quidem loco regiones Europæ perlustrabimus.

Hispaniarum Rex in suis regnis & ditionibus, nimirum Hispania, regno Neapolitano, Sicilia, Sardinia, Belgii parte quam adhuc tenet, nullam tolerat religionem præter Pontificiam, neque ulli alterius religionis sedes conceditur: quin potius omnia funditus bello vastari & deleri sineret: ideo in hisce locis viget severa Inquisitio.

Gallia quanquam incolas maxima ex parte Pontificæ religioni addictos habeat, tamen Lutheranis & Reformatis quoque in quibusdam locis publicum religionis exercitium hodie conceditur extra urbes.

Italia Pontificios tantum admittit: multos tamen etiam Lutheranos & Reformatos sine publico religionis exercitio tolerat.

Subandiæ quoque Pontificæ est religionis excepta liberâ civitate,

Geneva,

*Geneva*, quæ Reformatæ est religionis.

In *Germaniæ* provinciis superioribus obtinet Pontificia religio, etsi Judæos quoque Cæsar admittat & egregiis privilegiis jam olim donaverit: Lutheranos tamen hodie non tolerat; multo minus Reformatos. In provinciis *Germaniæ* inferioribus, ut *Saxonia*, *Holfatia*, &c. Lutherana viget religio: in *Palatinatu*, *Hassia*, & *Westphalia* Reformati quoque florent.

*Hamburgi* & in quibusdam aliis *Germaniæ* locis Anabaptistæ quoque reperiuntur magno numero, quibus tamen in urbe non conceditur habere templum, sed extra urbem in vicini Comitatus quodam oppido sacra sua peragunt, sicut etiam Reformati.

Electo *Brandeburgicus* est quidem Reformatæ religionis, sed subditi ejus tam in *Marchia* quam *Borussia* sunt Lutherani.

*Polonia* habet Pontificios, Lutheranos, Reformatos, Socinianos, Anabaptistas, Judæos, singulis publici exercitii religionis potestas, sed Pontificii summam obtinent potestatem.

*Hungaria* quoque præter Pontificios alit Lutheranos & Reformatos cum libero religionis exercitio.

*Dania*, *Suecia*, (ad quam pertinet amplum regnum *Finlandiæ* & magna pars *Lappiæ*) *Norwegia* Lutheranam religionem profitentur.

*Anglia*, & *Scotia* Reformatæ sunt Religionis. In *Irlandia* plurimi sunt addicti Pontificiæ religioni: alii Reformatæ.

*Belgæ* foederati etsi Reformatam tueantur doctrinam, tamen Lutheranos quoque tolerant & in quibusdam civitatibus publicum templum concedunt, in quibusdam denegant. Eodem ferè modo Anabaptistas habent. Judæis *Amstelodami* magno numero commorantibus publicum religionis exercitium concessum est, & nuper quoq; *Roterodami*. Sociniani etiam & aliarum hæresium cultores reperiuntur. Pontificiæ religioni multi sunt addicti, qui etsi potestate liberi exercitii religionis non gaudeant, tamen clandestinos conventus habent multos.

*Helvetii* partim Reformatæ partim Pontificiæ religionis cultores sunt, ut etiam *Rhæti*, & *Helvetiorum* stipendiarii.

*Græcæ* autem *Ecclesiæ* in Europa membra sunt, *Bulgari* *Servi*, *Bosni*, *Sclayoni*, *Moldavi*, *Valachi*, *Tartari* *Precopenfes*, *Thraces*, *Græci*, *Macedones*, &c. in quibus tamen regionibus etiam *Mahometana* colitur religio. *Moscovia* verò tota est *Græcæ* *Ecclesiæ* neque ullam aliam religionem habet, quemadmodum etiam *Russia* *Regi* *Poloniæ* subjecta.

*Mahometana* religio in Europa colitur iis provinciis, quas modo enumeravimus, præcipue in *Thracia* & *Græcia*, & præterea *Hungariæ* parte, quam Cæsari ademit *Turca*. *Constantinopoli*, ubi sedes est Imperii, sedem quoque fixit supremæ *Mahometanæ* reli-

religionis Pontifex Maximus, quem Multi vocant: etsi *Turca* in omnibus hisce regnis Judæos toleret & Christianos sine sectarum discrimine, publicumque religionis exercitium concedat, & *Constantinopoli* supremus *Græcicæ* *Ecclesiæ* Patriarcha, ut etiam *Armeniorum*, agat.

Atque ita quomodo in *Europæ* regionibus cum religione comparatum sit, vidimus. Ex quibus etiam simul patuit, quinque tantum religiones esse, quarum cultores summam administrationis potestatem in quibusdam regionibus habeant, nempe Pontificiam, Lutheranam Reformatam, *Græcicam*, *Moscoviticam*, & *Mahometanam*. Aliis religionibus addicti ut *Judæi*, *Anabaptistæ*, *Sociniani* in nulla provincia ad *Reipublicæ* gubernaculum sedent.

Ethnici in *Europa* nulli sunt, etsi in ultimis terminis ad fretum *Weygats* in provincia *Samojeda* *Idolorum* cultores esse, *Belgarum* navigationes testentur.

### De Asia populorum Religione.

*Siam* totam *Mahometana* infecit religio, neque ulla ejus est provincia, vel insula (si *Chinam* & *Japoniam* excipias) quæ non ejus aliquot cultores numeret; usque ad ipsas *Moluccas* nimirum in *Turcico* & *Persico* Imperio floret: in *Tartaria*, *India* atque adjacentibus Insulis à plurimis colitur.

Per totam tamen ferè *Asiam* reperiuntur Christiani *Græcæ* *Ecclesiæ* magno numero, & huic integræ quædam *Tartarorum* regiones sunt addictæ. *Georgiani* quoque inter *Mæotidem* paludem & *Caspium* mare, colunt hanc.

Sed & *Armenii* & *Nestoriani* reperiuntur à *Græcis* diversi. Cæterum præter Christianam & *Mahometanam* religionem *Asia* abundat ethnicis religionibus quibus dediti sunt *Chinenses*, *Siamenses*, *Indique* alii in *Malabarico* atque *Coromandelio* litore populi & in Insulis plerisque incolæ, *Japonii*, *Javani*, *Ceilanenses*, &c. *Persæ* quoque Ethnici reperiuntur in *India*. In hisce regionibus *Mahometani* quidem etiam reperiuntur, sed Christiani *Græcæ* *Ecclesiæ* nequaquam, neque alii (exceptis illis paucis in *India*, qui *Thomæi* appellantur, namque *S. Thomas* hæc loca dicitur convertisse ad Christum) nisi à *Lusitanis* ante seculum & ultra quidam ad Pontificiam religionem adducti sunt: sed parum effectum est, cum gentes illæ liberiores vitam præferant Christianæ, neque satis capaces sint mysteriorum *Christianæ* religionis: præterea *Lusitani* ex plurimis locis à *Belgis* expulsi sunt.

*De Africanorum Religione.*

**A**fricæ quoque magnam partem occupat Mahometana hæresis, inprimis maritima regna, nimirum Ægyptum & omnes mari mediterraneo adjacentes provincias, Fælanum, Marocco, &c. quæ jam uno vocabulo dicuntur Barbaria (ubi olim Christiani partim Orthodoxi partim Arriani florebant.) Indè in Occidentali Africæ littore à Marocco usque ad promontorium Viride propagatum est hoc dogma. Eodem modo in Orientali Africæ littore ab Ægypto usque ad fluvium, cui à Spiritu sancto nomen est, regna Melinde, Mesambique, Quiloam, Soffalam pervasit. Solius littoris, quod Meridiem spectat, regna libera manserunt ab hoc nefario errore, nimirum Guinea, Congi, Angola, Monomotapa. Sed hæc interim in non minori versantur ignorantia, nempe ethnicismo, cum quidam Solem & Lunam adorare dicantur, alii Deos, alii omnino Diis careant.

De interioribus Africæ regionibus, utrum Mahometani an ethnici ibi sint, haud certò constat.

Solus in Africa Religionis Christianæ, Græcæ nimirum, conservator & tutor est Rex Abassinorum multis populis imperans. In Ægypto quoque multi Christiani reperiuntur, cum in ea sit Patriarcha Alexandrinus.

Porro, populos in meridionali Africæ littore Lusitani ad Pontificiam religionem adducere conati sunt. Primus omnium baptizatus est Rex Congi cum uxore & aliis multis, anno post Christum natum millesimo, quadringentesimo, nonagesimo primo, ut Maffeus annotavit: deinde quoque Sebastiano in Lusitania regnante, Cæsar Monomotapæ Baptismi sacro latice expiatus religionem Christianam amplexus est. Cæterum, deinde progressu temporis successus non respondit spei. Namque & Reges alieni facti sunt à religione, & populi liberiolem & voluptuosam vitam prætulere novæ religioni. Aliqui tamen hodie adhuc reperiuntur in illis Christiani.

Ad promontorium Bonæ spei qui degunt populi, censentur nullius religionis neq; Numinis cognitionem habere.

*Americanorum Religio.*

**A**mericani ante Hispanorum adventum in illas terras, omnes quidem ethnici erant, sed diversi tamen à se invicem. Alii enim Solem & Lunam venerabantur, ut Peruviani, qui etiam Resurrectionem mortuorum credebant: Brasilienses nec Deos  
nec

nec stellas colebant. Mexicani Deos agnoscebant & templa extruxerant.

Septentrionales Americani in Florida & remotioribus regionibus partim stellas honorabant, partim athei erant, & adhuc sunt, quippe ab Europæis nondum subjugati.

Cæterum quoniam Hispanus jam Americæ nobilissimas partes, Mexicanam & Peruvianam possidet, & ab Hispanis hæc loca magno numero incoluntur, ideo Pontificiæ religioni regna hæc annumeranda sunt.

Chilenses qualem ethnicismum foveant, nondum cognovi. Ad Magellanicum fretum feri & sylvestres homines sunt.

De Terræ Australis incolis nondum quicquam, quod fide dignum sit, editum est.

*Descriptio brevis Religionum.*

**S**ic itaque omnium populorum totius terræ religiones enumeravimus.

Quoniam autem harum præcipua capita, & convenientiam atque discrepantiam utile est cognoscere, ideo de hisce quædam adjungenda esse existimavimus.

Quantum itaque ad Judæorum, Pontificiorum, Lutheranorum & Reformatorum religiones attinet, de hisce peculiarem explanationem instituere, supervacaneum foret, cum nemini non harum doctrina cognita sit. Ut tamen paucis dicamus, *Judei* Christum fuisse promissum Messiam pernegant, multo minus pro filio Dei agnoscunt, quoniam unam tantum personam in divinitatis essentia ponunt, & Trinitatis mysterium rejiciunt. Novi Testamenti Scripturam sacram non recipiunt, sed veteris tantum Testamenti libros.

*Sociniani* etsi Christiani esse velint, tamen cum Judæis & Trinitatem & quod consequens est in Christo divinam naturam negant. Etenim Christum hominem tantum esse volunt, eum tamen à Deo divinis instructum fuisse dotibus ut Doctor esset & explicator legis atque divinæ voluntatis ultro fatentur. Ideo ejus passione & morte nostram Justificationem & salutis æternæ spem iuncti negant, sed hanc in misericordia & bonitate Dei collocant, qui sine alterius satisfactione homines poenitentes in gratiam recipiat.

*Anabaptistæ* fingunt cum antiquis hæreticis Valentiniensis, Christum non verum Mariæ filium fuisse neque ex ea corpus assumptum, sed hoc à cælo secum attulisse & postea per Mariam tanquam per fistulam percolatum pertransisse. Idem Spiritui Sancto divinam essentiam denegant. Ab errore circa Baptismum  
R. z nomen

nomen fortiti sunt. Impugnant quoque non tantum Ecclesiasticum ministerium, sed etiam magistratum politicum. Vitæ Sanctimoniam plus ascribunt quam Scriptura admittit.

*Pontificii* hoc habent singulare, quod Papam Romanum Ecclesiæ caput esse velint, neque verum Ecclesiæ membrum censerit posse quenquam, qui illum non agnoscat. In articulis de Eucharistia, Sanctorum cultu, & de bonis operibus dissident præcipue ab Orthodoxa & Apostolica doctrina, quanquam hodie Jesuitæ distinctionibus & limitationibus suis tolerabilem magis doctrinam reddiderint.

*Reformati* præcipue in Articulo de Eucharistia & de Prædestinatione dissident a Lutheranis, hodie tamen multo propius accedunt, quam olim. Sed hæc, cum lippis & tonsoribus nota sint, omitto.

### De Græca Ecclesia.

Quæ dudum Græca dicta est Ecclesia, ea in Thracia, Macedonia, Epiro, Thessalia, Græcia proprie dicta (quæ regiones uno nomine Græcia dictæ sunt) primum floruit, deinde per totam ferè Asiam atque Africam se extendit: etsi ex Syria primo sit derivata ad Græcos. In ipsis doctrinæ capitibus parum a Pontificiis dissident: præcipua controversia est de primatu Papæ Romani, quem illæ Ecclesiæ non agnoscunt, cum Patriarcha Constantinopolitanus ab illis observetur. Quanta certamina & rixæ circa annum quadringentesimum post-natum Christum ob hanc dignitatis eminentiam excitata sint, de eo legi possunt Ecclesiasticarum antiquitatum Scriptores. Origo autem certaminis ea fuit, quod Constantinus Magnus anno cccxxx. relicta Romæ sedem Imperii Constantinopolin elegerit. Tunc enim Episcopus Byzantinus seu Constantinopolitanus præsentiam Cæsaris plus sibi sumere cœpit & vicinarum gentium Episcopi plusculum tribuerunt. Anno dein cccLxxxi. secundus ab Episcopo Romano declaratus & Patriarcha vocatus. Anno ccccli. par ei cum Episcopo Romano attributa dignitas. Denique anno dc Oecumenicus, & Generalis Patriarcha appellatus est. Sic similitates & odia creverunt. Etsi verò Cæsar Phocas sexto super sexcentimum anno Papæ Romano adjudicaverit eminentiam, atque in Concilio Romano ejus edictum ad omnes Episcopos promulgatum sit, & in sequentibus Conciliis eminentia hæc aliquoties Pontifici Romano confirmata, nihilominus Patriarcha Constantinopolitanus auctoritatem ejus tanti non fecit, sed sæpius contradixit, atque Ecclesiæ in locis Thraciæ vicinis, Asia & Africa huic adhæserunt. Accessit controversia de Imaginum in templis usu, magno

magno zelo ab utraque parte tractata, item de Sanctorum adoratione, quam in Concilio Constantinopolitano, anno tricesimo supra septingentesimum Orientales damnarunt. Postea de processione Spiritus Sancti disputatum est: namque à Patre solo processisse acriter defendunt Græci. Cæterum præcipua mansit in hunc usque diem dissensus inter illos & Pontificios causa, quod Papam Romanum pro Capite Ecclesiæ nolint agnoscere.

Etenim de Imaginum usu & Sanctorum adoratione jamdudum Pontificiorum sententiam secuti sunt, ut Schweigerus in suo Itinerario refert, quoniam in templis suis multas Imagines ut Christi, Mariæ, apostolorum, martyrum, S. Basilii, Constantini Magni, Helenæ non tantum collocatas habeant, sed etiam venerantur: præterea Sanctorum apud Deum Intercessionem implorant: atque distinctione inter λατρείαν, δούλιαν, ὑπερδουλίαν se defendunt: statuas autem & sculptilia explodunt, quod Latini improbant. Bonis quoque operibus non minus tribuunt quam Pontificii, imprimis jejuniis, quæ adeo frequentia observant, ut supputatis omnibus jejuniorum diebus, hi dimidiam anni partem superare deprehendantur. Atque hæc causa est, quod Pontificii Græcos hosce seu Orientales non appellent hæreticos; sed schismaticos (nisi quando severiores sunt, ut Possévinus illos interdum Schismaticos hæreticos vocat.) Quanquam etiam in Eucharistiæ Sacramento valde à Pontificiis dissentiant, cum omissionem calicis nunquam approbaverint: separatim tamen panem & vinum non exhibent, sed commixta hæc in cochleari præbent & quidem fermentatum & vulgarem panem usurpant: azymum verò rejiciunt, quæ etiam magna dissidii pars est; & singulis quidem Dominicis diebus & festis conveniunt in templis, atque psalmis, lectionibus, celebratione Missæ, precatione solenni sacrum cultum peragunt, omnia hæc Græco puro sermone, quem vulgus non intelligit. Conciones autem non nisi diebus jejuniorum habentur, & quidem vulgari & corruptâ Græcâ lingua, quam auditores satis capiunt: testimonia tamen Scripturæ & ex Patribus petita Græco idiomate, quo scripta sunt, hoc est, puro, proferunt. Habet autem Patriarcha ipse plerasque conciones.

Purgatorium non agnoscunt ut Pontificii, sed animas, antequam ad coelum admittantur, ad infernum duci, ut suppliciorum aspectu terreamur, donec precibus Sanctorum & Sacrificio Missæ inde ad coelum transferantur.

Sacerdotes uxorem ducunt, sed non licet illis ad secundas nuptias transire: iidem à carnibus semper abstinent: pisce tamen vescuntur.

A sanguine quoque & suffocato abstinent.

Unctionem Confirmationis Pontificiorum non adhibent. Jejunium



um quoque quadragesimale maturius, quam Pontificii faciunt, incipiendum statuunt.

Exhibent quoque infantibus & pueris SS. Eucharistiam, ut olim Hussitæ.

Quatuor Patriarchæ numerantur in Græca Ecclesia, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus. Ex hisce primarius est Constantinopolitanus, gerens titulum Generalis Patriarchæ, cujus etiam inspectioni & Ecclesiastico regimini plurimæ Ecclesiæ subjectæ sunt, nimirum omnes Europæ ut Thraciæ, Græciæ, Mysiæ, Bulgariæ, Walachiæ, Russiæ, Moscoviæ, item Asiæ minoris, insularumque Ægei maris. Reditus annuos non habet, nisi quos à diversarum regionum Christianis collectos accipit, singulis nimirum annis viginti millia aureorum (Ducatorum.) Ex hac pecunia ministros atque Officiarios alere, & præterea Turcarum Imperatori quinque millia ducatorum solvere tenetur. namque ab hoc Imperatore eligitur Patriarcha Constantinopolitanus.

Alexandrinus Patriarcha præest Ecclesiis, quæ sunt in Africa, inter quas Abassinorum præcipua est. Antiochenus & Hierosolymitanus Ecclesiarum Syriæ, Palestinæ atque Asiæ majoris curam gerunt.

Monachis quoq; & Monialibus Ecclesia hæc non caret.

### De Abassinis.

Abassini etsi Patriarcham Alexandrinum observent pro Archiepiscopo, atque ab hoc juris divini responsa, ritusque petant, tamen habent quædam ab aliis diversa. 1. Circumcisionem retinuerunt ex Judaismo, de qua in primitiva Ecclesia magnæ erant controversiæ. Schweigerus quoque ab aliquo Abassino sibi narratum esse ait, quod puellis etiam circumcisio adhibeatur. Præterea duplici baptismo uti dicuntur, uno per aquam, altero per ignem in iustis temporibus & fronte, etsi alii hanc institutionem ob sanitatem fieri dicant. 3. Mosaicæ leges de licita & illicita carne atque cibo adhuc observant, item leges de contaminatione corporis & examinatione. 4. Diem Saturni cum Judæis celebrant pro Dominica die. 5. Eucharistiæ Sacramentum singulis diebus in Templis administrant. 6. Singulis annis in Epiphaniæ festo tam senes quam juvenes, mares foeminaeque baptizantur in memoriam baptismi Christi, qui huic diei à nonnullis ascribitur.

Porro Reges Abassini referunt genus ad Salomonem, ex quo Regina Sabæ prægnans facta, postquam in Æthiopiam rediit, enixa sit puellum regni hæredem, à quo reliqui Æthiopia

opiæ reges continuâ successione ortum duxerint. Unde titulum gerit hunc:

\*\*\*. Supremus meorum regnorum, à Deo unice dilectus, columna fidei, ortus ex stirpe Juda, filius David, filius Salomon, filius columnæ Sion, filius ex semine Jacob, filius manus Mariæ, filius sanctorum Petri & Pauli secundum gratiam, Imperator superioris & inferioris Æthiopiæ, &c.

Pontificii, inprimis Jesuitæ in medio prioris seculi omnem moverunt lapidem, ut Abassiam à Græca Ecclesia & Patriarcha Alexandrino abalienatam adducerent ad Romani Pontificis observantiam. Et quoniam eo tempore Abassinorum Rex à Mahometanis Africanis aliquoties cæsus & in angustum ejus vires adductæ erant, ideo spe Lusitani auxilii (quo etiam feliciter aliquando usus est contra hostes) minus durum se præbuit Jesuitis, imo eò tandem deducta res est, ut missis Legatis ad Romanum Pontificem (qui ad Regem Lusitanicæ simul missi erant) paratam ad omne obsequium, voluntatem ac studium cum solenni adoratione & osculo detulerit (ut ait Maffeus) anno MDXXV circiter. Itaque anno tricesimo post, nimirum MDLV Jesuitis annitentibus, qui magnam gloriæ spem ex convertendis Abassinis ad Pontificiam Ecclesiam conceperant, & vivente adhuc atque instigante Ignatio Lojola, (mortuus autem est proximo anno) cujus prolixas literas de primatu Papæ Romani ad Abassinorum Regem scriptas vide in Maffei Historia Indiæ Orientalis libr. XII. missus est illuc à Pontifice, titulo Patriarchæ ex Jesuitarum ordine (qui non nisi mandato Pontificis coactus munus hoc suscipere voluit, cum sit contra Ordinis instituta) duodecim additi Sacerdotes, qui etiam ex ordine Jesuitarum erant, nimirum, ut Abassinorum Regem promissi dudum per legatos facti admonerent atque juxta hoc templa atque scholas regni occuparent, & Pontificis auctoritatem stabilirent. Cum verò hi Jesuitæ Goam Indiæ primariam urbem Lusitanicæ potestatis, ut inde necessario apparatu instructi Abassiam peterent, delati essent, Prætor Indiæ Lusitanus jam præmiserat illuc quendam, qui Patriarchæ & Sacerdotum adventum Regi denuntiaret. Sed magna spe dejecti sunt. Etenim Regis studium erga Pontificios dudum refrixerat, cum potius simulatio mera quam ex animo profecta ea officii species fuisset. Primo itaque Rex tergiversari, deinde promissorum admonitus in librarium & interpretem culpam rejicere, denique palam dicere, fraternam quidem in Lusitanum Regem voluntate se esse ac fore, sed nihil minus sibi in mentem venisse quam ut idcirco à majorum institutis ac tot seculorum corroborata religione deficeret. Deinde cum Ægyptius antistes venisset in Abassiam missus à Patriarcha Alexandrino ad ordinandum clerum, atque Rex ab illo petiisset, ut cum Euro-

pæro sacerdote certamen iniret vel scripto refelleret, hic respondit, nullum sibi cum hæreticis commercium sermonis esse, imò religionem incussit Regi, quòd impia scripta (Jesuitæ Rhoterigi) legere esset ausus, idque nè in posterum faceret, minaciter ve-tuit. Hæc ex Maffeo excerpta sunt, qui prolixè de illis agit pas-sim in libro antea citato.

### *De Moscovitica Religione.*

**M**Inus à Græcis dissident Mosci quàm Abassini: vocatur quoque Ruthenorum religio, quia Rutheni, qui Regi Po-loniæ parent, inter quos etiam sunt Cosacki, eandem tenent. Notum quippe est, quod Russia dividatur in Nigram & Albam: quarum illa Polono paret, hæc præter alias regiones ipsam Mos-coviam complectitur.

Quantum ex Possævino, qui aliquot annos ibi commoratus est & prolixè descripsit regni ejus statum, colligere licet, peculiaris habent Mosci in religione hæc: 1. Fornicationem simplicem non censent esse peccatum. 2. Sacerdotes, antequam possint sacerdo-tio fungi, uxorem virginem ducere tenentur, quâ mortuâ, abro-gatur eis Sacerdotium. 3. Usuram non putant esse peccatum. 4. Sanctum Nicolaum præ cæteris Sanctis colunt ità ut hujus quoque sculptam imaginem habeant in paucis locis: namque cum Græcis omnia sculptilia & simulacra damnant, nè ipsius Christi quidem excepto. 5. Sanctos quosdam colunt, & eorum parvas imagines venerantur, de quorum sanctitate nec Græca nec Ro-mana Ecclesia novit. 6. Negant extremam unctionem prodesse ad sanitatem corporis recuperandam. 7. Indignos non accipere corpus Christi in Eucharistia statuunt. 8. Rutheni & Mosci si-gno Crucis se muniunt, primò quidem à media facie ad dex-tram, deinde ad sinistram digitos reducendo, quia Filium à dextra Patris, Spiritum Sanctum à sinistra fingunt sedere.

Porro, quamvis certum sit, Moscoviam demum post millesi-mum Christi annum Duce Volodomirio, ad Christianam religio-nem conversam fuisse studio Græcorum & Patriarchæ Constan-tinopolitani, à quo etiam Metropolitanam acceperunt: Mosci ta-men hoc fateri nolunt, sed ab Andrea Sancti Petri fratre Chri-stianam religionem primò in hisce regionibus prædicatam fuisse defendunt, atque Ecclesiam suam æquè vetustam ac Romanam esse gloriantur, ideo autem suam præferendam Romanæ volunt, quod cum hæc in multas sectas divisa sit, illa ad hunc usque diem constans & immutata manserit.

Desierunt quoque Metropolitanam Ordinationem à Patriarcha Constantinopolitano petere, sed Magnus Dux hujus electionem sibi

sibi sumpsit, quod primus fecit Magnus Dux Basilius circa medium prioris seculi.

Etenim cum Basilius hic à Patriarcha Constantinopolitano pe-tisset Metropolitanum, atque hic missus, Basilius vitia & dissen-sum Ecclesiæ Moscorum à Græca carperet, conjectus est in car-cerem, è quo nunquam liberatus est, etsi ipse Turcarum Impe-rator acriter hoc postularet à Mosco. Nihilominus singulis an-nis quingentos aureos Patriarchæ Constantinopolitano Moscus mit-tit in eleemosynam. Metropolitanus verò reditu annuo gaudet octoginta millium aureorum. Ei quoque venienti Magnus Dux cum aulicis obviam procedit atque manus osculatur.

In hac quoque gente ad Pontificis Romani auctoritatem ad-ducenda multum operæ impensum est à Pontificiis, inprimis à Je-suita Possævino: Cùmque circa annum M D L xxx Moscus à Po-lonis magna strage cæsus esset ità ut vix justum exercitum col-ligere posset atque ideo pacem admodum expeteret, Pontificii hanc occasionem nacti jam tempus agendi esse existimabant. I-taque Pontifex Romanus misso legato ad Regem Poloniæ & Magnum Moscoviæ ducem, ad pacem hortatus est utrunque, seque Mediatorem atque conciliatorem obtulit. Optata res erat Mosco: ideo simulare & magno Legatum Pontificis honore ha-bere, ipse quoque legatum ad Pontificem mittere. Cæterum deinde anno MDLXXXII, cum jam pax facta & confirmata esset, legatusque Pontificis de religione agere cum Duce inciperet, ni-hil impetrare potuit. Etenim Dux Pontifici nihil promissum à se aiebat, quod ad religionis negotium spectaret: se verò Mosco-viticam religionem verissimam esse certò scire: denique urgente Legato expressè dicere, Pontificem Romadum nè quidem pro Pastore Ecclesiæ habendum. Deinde tamen blandis verbis Legatum dimisit. Ita & hic à Pontificiis nihil effectum est.

### *De Armeniorum Religione.*

**C**hristiani qui Armenii vocantur, non tantum Constantinopo-li, sed etiam aliis Turciæ urbibus magno numero reperi-untur, ut etiam in Tartaria & Russia. Patriarcham autem pro-prium habent Constantinopoli, quandoquidem Græcæ Ecclesiæ membrum non sunt. Dicti autem à provincia Asiæ, Armenia, quoniam primam hanc hæresi sua infecerunt, sive ex hac primò doctrina eorum in alias propagata sit regiones. A Mahometanis pluris æstimantur quàm alii Christiani, propterea quod olim Ar-menius quidam Sacerdos Mahometi, cum adhuc in tenui esset conditione, eam quam deinde obtinuit, potentiam atque dignitatem vaticinatus sit.

Cæterum Græci non tantum nullam cum Armeniis familiaritatem vel conversationem colunt, sed etiam capitali odio ab illis dissident, ita ut cum illis cibum capere vel ex eodem poculo bibere dedignentur. Præcipuum dissidium est error eorum de persona Christi. Etenim Eutychis ferè hæresin sequentes docent, susceptam à Christo carnem in divinitatem fuisse conversam, rationem ejusmodi affingentes: sicut mellis aut aceti gutta, si in mare fundatur, amplius non cernitur nec subsistit: Ita & corpus Christi in immenso Divinitatis pelago demersum non conservare amplius Naturam suam aut proprietatem. Idem in cœna Domini panem carnis Christi negant esse corpus Christi, sed Divinitatis corpus esse dicunt. Loca scripturæ, quæ de humana natura Christi testantur, ea de externa specie & similitudine explicant. Abutuntur loco Pauli ad Rom. cap. 8, ubi Christum suscepisse formam & speciem servi Paulus ait. Cultu quoque Judaico boves & oves sacrificare dicuntur, & victimarum sanguine limina inungere. In aliis, ut sacrificio Missæ, Sanctorum Cultu, jejuniorum æstimatione, &c. haudquaquam à Græcis vel etiam Pontificiis dissident. Plura qui cupit, legat Euthymium parte 2. Panoph. Titulo 20.

### Mahometanorum Religio.

Præcipua hujus religionis, si ita blasphemiam appellare fas est, capita sunt hæc:

1. Tres personas in Divinitatis essentia negat, neque fieri posse existimat, ut Deus filium progeneraverit, quandoquidem ad hoc uxoris operâ opus habuisset. Et vero mundi gubernationem inconstantem variisque mutationibus obnoxiam futuram, si Deo & conjux & filius esset.
2. Tres principes Prophetas numerat, Mosen, Christum & Mahomedem. Etenim Mosen nimis difficilia præcepta tradidisse, ideo Christum à Deo instructum hæc emendasse: sed cum nec hoc sufficeret, Mahomedem ultimam perfectionem & explanationem absolutissimam voluntatis divinæ hominibus annuntiasse & libro conscriptam reliquisse, quem Alnoranum vocant.
3. Ideo Christum Deum fuisse vel Dei filium, hoc non tantum pernegat, sed etiam horrendam blasphemiam esse statuit. Nihilominus magnum eum Prophetam & à Deo magnis virtutibus & miraculorum potestate ornatum fuisse & in cœlum sublatum ultro concedit, & Judæorum blasphemias in Christi nomen capitis poenâ coercet & punit.
4. Recipit libros Veteris & Novi Testamenti, quos in Arabicum

cum conversos sermonem legunt. Sed præter hos Alcoranum librum Mahometis maximi æstimant, qui in corrigendis & immutandis scriptis Veteris & novi Testamenti magnam sibi sumit libertatem sub eo prætextu, quod à Christianis quædam addita sint, vel corrupta. Itaque Deum appellare Patrem nostrum, id cum blasphemia & superbia conjunctum esse putat: & in Orationis Dominicæ quinto membro, verba illa, *Sicut & nos remittimus debitoribus nostris*, omittere jubet tanquam apposita, cum hæc verba, Deo modum agendi vel remittendi peccata præscribere videantur: Eliminat quoque secundam petitionem, *Adveniat regnum tuum*, quia Deus, inquit, jam ubique est.

5. Christum nec passum nec mortuum esse statuit, sed pro eo Judæos occæcatos Judam proditorem apprehendisse. Fuere quoque Christiani in primitiva Ecclesia, qui simile quippiam defenderunt, vel potius somniarunt.

6. Vitam æternam seu beatitudinem collocat in voluptatibus hujus mundi, nempe dapibus, nectare, pulcherrimis fœminis, &c.

7. Eam autem felicitatem partim bonis operibus homines obtinere posse partim gratiâ & misericordia Dei docet.

8. Vino jubet omnino abstinere non sine fabulosa ratione, sed Turcæ nihilominus clanculum eo utuntur avidissimè.

9. Jejunii non paucos dies anni tribuunt: Turcæ quovis anno integri mensis assignant dies, quibus ante solis occasum & stellarum apparentiam nullum assument cibum. Mensis autem constans non est, sed singulis annis novus deligitur, nempe ordine eo, quo se insequuntur.

10. Turcæ singulis diebus quinque observant precandi tempora. 1. Ante solis ortum. 2. Meridiem. 3. Vesperam. 4. Solis occasum. 5. Mediam noctem. In precibus primis procumbunt in terram facie, quatuor vicibus: In secundis, decies: in tertia supplicatione, decies & ter: in quarta octies: in quinta quinquies. Et hisce quidem stans horis in templum accurrunt, nisi gravi negotio occupati sint alio loco. Tunc enim in hoc ipso loco (ut Senatores in ipsa curia) manentes facie ad Mecham Arabiæ Mahometis sepulchrum conversâ preces suas cum consuetis gestibus fundunt, & deinde ad operas atque consultationem redeunt. Fœminæ autem templum nunquam adeunt religionis causa, neque precationi aut concioni solenni illis licet interesse: sed in ædibus suis, ubi hora precum adest, divinam cultum præstant. Pueros quoque Turcæ arcent a templis. Multis autem gestibus præter lustrationem, cultum peragunt.

11. Diem Veneris pro Sabbatho vel dominica die colunt, quo etiam post recitatas solennes quotidianas preces ab uno ex Mahometanis Doctoribus concio habetur, nimirum sicut nostrates ex Bibliis

Bibliis certum textum prælegunt, ita illi ex abominando Alcorano capitulum defumunt, cujus interiorem sententiam populo explicent & admonitiones adjungant. Præcipuum argumentum concionam est commendatio Virtutum, dehortatio à vitijs, encomium Dei & Mahometis.

12. Circumcisionem studiosè retinent, sed non octavo à partu die administrant, ut Judæi; verùm tertio demum aut quinto vel etiam septimo ætatis anno.

13. Monachorum apud Turcas sunt quatuor Ordines, qui appellantur, ut Schweigerus refert, Dervisser, Omalier, Calendier, & Torlachi, omnes mendici, pauperes, nequam & veteratores. Moniales autem nullas habet hæc religio. Pontifex maximus religioni, quem *Muphti* vocant, Constantinopoli sedem habet, atque supremus est causarum Ecclesiasticarum judex, quem ipse Imperator interdum consulit in rebus dubijs & magni momenti.

14. Mahometani ex lege tenentur singulis annis semel sepulchrum Mahometis in Medina Arabiæ visitare, in honorem nimirum Prophetæ sui Mahometis, & consequendam peccatorum remissionem: inde eodem itinere petunt Mecham ut celebre Abrahamo dicatum templum (quod ibi esse dicitur) venerentur, vel etiam quod Mahometh hic natus esse dicatur, hinc Hierosolymam abeunt, quam vocant *Gudsumebarec*, hoc est sanctus locus vel sancta civitas. Hæc ex Schweigero desumpsi.

15. Qui alterius religionis sunt & Mahometanam suscipere volunt, illi erecto pollice in hæc pauca verba jurare debent: Credo, unicum tantum esse Deum, & Mahomedem ejus Prophetam.

16. Alstedius quidem quatuor Mahometanorum sectas esse scribit, sed discrepantiam non addit, neque ego in ullo autore qui de rebus Turcicis scripsit, de illa discrepantia quicquam reperi. Busbequius in epistolis à Bassa quodam sibi affirmatum esse ait, Persas à Turcis in religione plurimum dissidere. Sed nec illam discrepantiam annotavit: certè utramque gentem Alcorano inniti & summam tribuere authoritatem omnes consentiunt: Schweigerus tamen in suo Itinerario pauca de hac Turcarum & Persarum diversitate religionis habet, sed ex quibus colligere liceat id quod alii etiam confirmant, controversiam inter illos esse potius de regno & primatu quam de religione, etsi sub prætextu religionis bella gerant, odiùmque capitale exercent. Feruntur autem hujus dissidii in religione autores circa annum M. CCCC. LXX. extitisse, & primus quidem Harduelles è veteri Regum Persicorum stirpe, sacris meditationibus & Alcorano explicando apprime deditus: Secundus Techelles ex Harduellis afflelis, qui in Armenia diu delitescens & in montanis eremitarum

tarum vitam agens tandem magnum sanctimonix nomen consecutus est, ita ut Mahometani, in primis Persæ magno ad eum numero advolaverint. Tertius fuit Ismael cognomine Sophi, filius Harduellis, qui cum diu sacris meditationibus intentus fuisset, tandem quoque regnum Persicum adeptus est, cujus apud posteros in hunc usque diem regnum manet. Cæterum dogma illorum, quod in Mahometanam religionem intulerunt, fuisse dicitur hoc: Nemini ad æternam felicitatem sufficere Alcoranum neque Dei legem, nisi quoque Doctrinam magni Prophetæ Ali observet. Hic autem Hali ex præcipuis fuit Mahometanæ religionis Doctoribus, quorum quatuor numerantur, Ebubecar, Ali, Osman, Omar. Turcæ autem Omarum plurimi æstimabant, sed Ali negligebant & ex eo tempore, quo Persæ illi tantam dignitatem attribuerunt, scripta illius detestantur. Præterea Persæ non quidem in templis aut cultu divino sed ad ornatum modò & animi jucunditatem imagines pictas habent: Turcæ autem omnes imagines abominantur. Alia quoque minoris momenti sunt, in quibus dissentiunt. Etsi autem hæc tanti non sint, tamen Turcæ vehementer oderunt Persas, neque quenquam horum suar, hoc est Turcicæ censent religionis, nisi denuo circumcidi Turcico more se patiantur. In alio autore quatuor diversas Mahometanarum sectarum opiniones de æterna salute consequenda legi has; primam, quod nemo salvetur nisi per legem Mahometis: secundam, quod ex solâ Dei gratiâ salus hominum dependeat: tertiam sacerdotes præcipui fovent, nempe unumquemque ex solis bonis operibus, non vetò ex gratia vel lege Mahometis salutem consecuturum esse: quarta opinio est, unumquemque in sua religione salvari posse. Hæc de impietate Mahometana sufficiant. Jam quoniam in prioribus Judæorum quoque & Christianorum religionem explicavimus, restat ut de diversis ethnicis superstitionibus agatur, quarum Descriptiones ex aliis autoribus collectas subjiciam.

### Chinensium Religio.

Hanc Nicolaus Trigautius Jesuita, qui triginta annis commoratus est in China, capite x. libr. primi descripsit hunc in modum: Ex omnibus, inquit, Ethnicorum sectis, quæ quidem in Europæ nostræ notitiam devenerunt, hætenus nullam legi, quæ in pauciores errores inciderit, quam Sinarum gens prioribus antiquitatis suæ seculis legitur incidisse. In illius quippe libris lego, Sinas jam inde ab initio supremum & unum Numen adorasse, quod ipsi cœli Regem appellabant, vel alio nomine cœlum & terram. Ex quo apparet, veteres Sinas opinatos fortasse cœlum

cœlum ac terram animata, eorūque animam pro supremo Numine coluisse. Infra hoc Numen colebant etiam varios spiritus montium, fluminum, & quatuor mundi partium tutelares. In omnibus actionibus rationis dictamen audiendum dictitabant, quod lumen rationis a cœlo se accepisse fatebantur. De supremo vero illo Numine, deque spiritibus illius ministris, nusquam legimus Sinas ea vitiorum monstra evulgasse, quæ nostri Romani, Græci, Ægyptii, vitiorum patrocinium in diis quærentes evulgarunt. Ex quo sperari merito potest de immensa Dei bonitate, non paucos e veteribus apud Sinas in lege Naturæ salutem invenisse, adjutos peculiari illo auxilio, quod nemini facienti quod in se est, ut aiunt Theologi, solet Deus denegare. Et hoc ex eorum Annalibus ab annis quater mille & eo amplius licet non obscure colligere, in quibus multa leguntur ab iis bene gesta, in patriæ bonique communis emolumentum. Idem colligitur e sapientissimis voluminibus, quæ in hæc usque tempora perseverant, antiquorum Philosophorum, quibus homines ad virtutem saluberrimis erudiunt institutis. Qua in re celeberrimis nostris Philosophis cedere non videntur.

Quia vero natura corrupta sine auxilio gratiæ semper in pejus ruit, labentibus deinde seculis primum illud lumen ita obscuratum est, ut si qui fortasse ab inanum deorum cultu abstinere, ex iis pauci sint, qui non in Atheismum lapsu graviore degenerent. Hoc porro capite triplicem apud Sinas Ethnicorum omnium sectam persequar. Nam de Saracenis Judæisque, & etiam Christianorum apud Sinas vestigiis, alius erit ex instituto dicendi locus.

Tres igitur Sinarum libri orbis terrarum sectas numerant: alias minime norunt. Prima est *Literatorum*, altera *Sciequis*, tertiam *Lancu* vocant. Ex his tribus aliquam Sinæ omnes, & reliqui populi contermini, qui Sinarum characteres habent, profitentur. Ii vero populi sunt Japones, Coriani, Leuquici, & Cincinenses. Literatorum secta Sinarum est propria, & in hoc regno antiquissima. Hæc Rempublicam gubernat, pluribus libris abundat, & supra cæteras celebratur. Legem hujus sectæ non eligunt Sinæ, sed unâ cum literarum studiis imbibunt, nec ex iis, qui literis incumbunt, aut literarios honores adipiscuntur, ullus est, qui non eam profiteatur. Auctorem seu Principem Philosophorum Confutium, de quo supra, agnoscunt. Hæc porro secta idola non colit, sed nec habet. Unum Numen veneratur, ideo quod ab eo conservari gubernarique hæc inferiora omnia arbitretur. Spiritus etiam, sed inferiore cultu, & contractiore dominio colit. Germani literati, conditi orbis nec modum, nec auctorem, sed neque tempus docent. Germanos ideo dixi, quia nonnulli minus celebres, somnia quædam

propo-

proponunt, sed nugacia, nec vero similia, quibus etiam ideo nulli adhibetur.

In hac lege de præmio bonorum ac malorum sermo est, sed fere arbitrantur id in hac vita dari, & vel in auctorem, vel in ejus posteros, pro meritis, redundare. De animis immortalibus antiqui vix videntur dubitasse, nam de vita mortali functis, & in cœlo degentibus, diu etiam post mortem, sæpe sermonem inferunt, sed de impiorum apud inferos pœnis nullus sermo. Recentiores porro literati animos unâ cum corporibus, aut paulo post extingui docent, unde neque probis cœlum, nec improbis inferorum cruciatus assignant. Quibusdam hoc nimis durum videtur; ideo asserunt solos proborum animos esse superstites, ex eo quod hominum animos dicant exercitio virtutum roborari, & ita uniri, ut ætatem deinde ferant, quod cum improbi non possint, eorum mentes mox, ut e corporibus exierint, evanescere, & velut in fumum redigi.

Opinio tamen hoc tempore celebrior videtur mihi ex Idolorum secta deprompta, & quinque retrò seculis invecata. Ea asserit universitatem hanc ex una eademque constare substantia, illiusque conditorem una cum cœlo ac terra, hominibus ac brutis, arboribus ac plantis, & quatuor denique elementis continuum corpus unum conflare, cujus magni corporis singulæ res singula sunt membra. Ex hujus unitate substantiæ docent, quo amore inter se singula uniri deceat; & quemlibet ad Dei similitudinem devenire posse ex eo, quod unum sit cum eo. Has ineptias nos non solis rationibus, sed & antiquorum suorum Sapientum testimoniis confutare contendimus, qui alia omnia tradiderunt.

Tametsi Literari, uti diximus, supremum unumque Numen agnoscant, nullum tamen ei templum exstruunt, & alium nullum locum deputant ad eum venerandum, nullos etiam, quod consequens est, Sacerdotes aut Religionis ministros habent, solennes ritus nullos ab omnibus observandos, præcepta etiam nulla, quæ violare sit nefas, sed neque sacrorum Præfectus est ullus, cujus munus in explicanda evulgandaque lege, plestendisque iis, qui contra eam peccaverint, consistat. Ideo nihil illi vel privatim vel publicè recitant aut canunt. Imo asserunt solum huic cœlorum Regi sacrificandi, ejusque colendi munus ad Regem spectare. Et si quis hæc sacrificia usurparet, pro perduelli & Regii muneris occupatore plesteretur. In hunc finem Rex duo habet templa sanè magnifica in utraque Regia, Nanquinesi & Pequinesi. Cœlo dicatum est unum, terræ alterum. In his olim ipse per se litabat, nunc in ejus locum Magistratus gravissimi successere, cœloque & terræ boves & oves magno numero mantant, aliisque multos ritus exhibent. Spiritibus cæteris montium,



um, fluminum, & quatuor regionum hujus universi, soli litant Magistratus primarii regnique Primores, nec privato cuiquam hic cultus licet. Hujus legis præcepta libro Tetrabiblio illo, & quinque doctrinarum voluminibus continentur, nec alii sunt codices probati, præter aliquot in eadem volumina commentarios.

Nihil porro in hac secta celebrius est, quodque latius inter omnes, ab ipso scilicet Rege ad infimum quemque pertingit, quam justa funebria, quibus quotannis parentibus parentatur, de quibus supra. In his observantiam suam statuunt, mortuis scilicet obsequentes majoribus, ut aiunt, ac si essent superstites. Nec tamen arbitrantur, appositis mortuos vesci ferculis, aut iis etiam indigere, sed id genus officii illo se exhibere asserunt, quod alia ratione nulla amorem in eos suum sibi testari posse videantur. Imo etiam asserunt non pauci, ritus hos fuisse institutos, magis in vivorum gratiam, quam mortuorum; ut scilicet filii & alii rudiores doceantur, qua ratione vivis parentibus obsequendum, quos viderint etiam vita functos à gravissimo & sapientissimo quoque tot officiis honestari. Et quoniam in iis nullam Numinis partem agnoscunt, nec ab iis quicquam aut petunt aut sperant, id videtur ab omni sacrilegi cultus scelere alienum, & etiam fortasse ab omni superstitionis labe purum. Quamquam salutarius omnino videtur, hæc in donandis eleemosynæ nomine pauperibus ad fidelium salutem, his qui Christi sacra susceperint, commutare.

Proprium Literatorum sanum est ipsius Confutii Philosophorum Sinensium Principis. Id ei per leges in qualibet urbe construitur, eo in loco, quem supra Literarium ludum vocari diximus. Id magno sumptu confurgit, & contiguum habet palatium ejus Magistratus, qui primum literarum gradum consecutus præest. In celeberrimo fani loco statua illius visitur, aut ejus loco nomen cubitalibus literis aureis in pereleganti tabula descriptum. Ad ejus latus statuæ adsunt quorundam ejus discipulorum, quos Sinæ in Divos, sed inferioris ordinis, retulere. In hoc sanum novilunio ac plenilunio quolibet, conveniunt Magistratus omnes urbani, cum renunciatis Baccalaureis, Magistrum solitis inclinationibus, ac genuflexionibus, cereis etiam, ac suffitu venerantur. Idem natali ejus die quotannis recurrente, & aliis quibusdam temporibus ex more deputatis, fercula illi offerunt magno apparatu, gratiam se habere protestati doctrinæ, quam in ejus libris repererunt, cujus maximè adminiculo doctrinæ gradus ipsi suos, & opimos in Rep. Magistratus consequuntur. Nullas porro ei preces recitant, nec ab eo quicquam petunt aut sperant, ad eum modum quo de vita functis jam explicatum.

Alia quoque ejusdem sectæ fana visuntur tutelaribus spiritibus

bus urbium singularum, & tribunalis cuique Magistratui propria. In eo sacramento se solemniter astringunt, ad jus fasque servandum, & officii sui partes legitime exequendum, id à quolibet Magistratu fit, quum primum dignitatem adit, quod hic sigillum accipere vocamus. His etiam fercula offerunt, & odores incendunt; sed non eodem, quo supra cultu, nam in his agnoscunt perjuros plectendi, probosque remunerandi divinam quandam inesse facultatem.

Hujus Literatorum sectæ scopus, in quem omnis ejus institutio collimat, est pax publica, & Reipublicæ quies. Oeconomica etiam familiarum, & privata singulorum ad virtutem compositio. Quem in finem accommodata sanè præcepta tradunt, eaque omnia innato nobis lumini, Christianæque consona veritati. Celebrantur ab iis quinque combinationes, quibus omnis humanorum officiorum disciplina continetur. Eæ sunt patris ac filii, mariti & uxoris, domini & clientis, fratrum inter se majorum ac minorum, sociorum denique aut æqualium. Has combinationes ipsi soli se assuetos putant, & eas ab externis populis aut nesciri aut negligi arbitrantur.

Cælibatum damnant, polygamiam permittunt. Explicatissimum habent in suis libris alterum præceptum Charitatis; *Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris*, &c. Mirum quam altè evehant liberorum in parentes pietatem & observantiam, nec minus clientum in dominos fidem, & minorum erga majores venerationem. Porro quia nihil eorum vetent aut jubeant explicat, quæ de altera vita ad salutem necessariò credenda sunt, multi cum hac sua secta reliquas duas miscent, & magnam sibi videntur assumpsisse religionem, si nullam respuerint falsitatem, tamen hanc illi sectam esse negant, sed Academiam quandam ad Reipublicam moderamen institutam. Et sanè tantum abest, ut hujus Academicæ statuta (sublatis perpauca) à Christi religione diffident, ut etiam ab eadem plurimum adjumenti capiat & perficiatur.

Altera Sinarum secta *Sciequia* vel *Omitose* appellatur; apud Japones verò *Siacca* & *Amidaba* nuncupatur. Characteres utrisque sunt iidem. Eadem etiam *Sotoqui* lex ab Japonibus dicitur. Lex hæc ad Sinas pervenit ab Occasu, importata è regno cui *Tiencio*, vel *Scinto* nomen est, quæ regna hodie uno *Indostanis* nomine appellantur, intra flumina Indum & Gangem sita. Pervenit autem salutis humanæ anno quinto & sexagesimo. Et scriptum reperio Regem ipsum Sinarum legatos misisse, somnio inductum ut id facerent. Ex eo regno libros in Sinarum regnum attulere legati, & interpretes adduxere, à quibus deinde hi libri in Sinicum sermonem translati sunt: hujus enim sectæ autores non advenerunt, siquidem superstites tum non fuerint. Ex quo

cum constet, hoc dogma ab Sinis ad Japones migrasse non satis intelligo, quam verè Japonenses hujus dogmatis sectarii asserant, eò ipsos Sciacca & Amidaba penetrasse, & è regno Siam originem habuisse, hoc enim regnum nullo tempore Sinis ignotum, manifestum fit ex ipsis hujus dogmatis sectariorum libris longè ab eo distare, quod ipsi *Tiencio* vocant.

Ex his patet hoc dogma eo tempore ad Sinas penetrasse, quo Evangelium Apostolis præconibus mundo innotescebat; in India superiore, quæ est illud ipsum Indostanis regnum, & alia contermina, cum D. Bartholomæus Apostolus legem Evangelicam divulgabat: Apostolus verò Thomas in India inferiore ad Austrum Evangelicos radios inferebat. Unde videri possunt Sinæ Evangelicæ veritatis fama permotos, eam ab Occasu expetiisse, sed vel Legatorum errore, vel locorum ad quæ perveniebant malevolentia, pro veritate falsitatem importatam accepisse.

Auctores hujus dogmatis videri possunt nostratium Philosophorum nonnulla dogmata consecuti. nam quatuor asserunt elementa, Sinæ autem satis inepte quinque adstruunt; ignem, aquam, terram, metalla, & lignum, ex quibus hunc elementarem orbem, homines, bruta, plantas, & cætera mixta constare opinantur. Multiplices cum Democrito & aliis, mundos fabricant, sed maxime animorum transmigrationem è Pythagoræ disciplina videntur mutuati, aliæque permulta commenta huic addidèrunt ad fucum falsitatis. Hæc autem non solum à Philosophis nostris, sed etiam ex Evangelica luce videntur umbram quandam accepisse. Certum enim Triadis modum inducit quo tres deos, in unum deinde Numen coalescere, fabulatur. Probris in cælo præmia, improbris apud inferos cruciatus parat, poenas de seipso repetentis virtutem celebrat. Cælibatam ita extollit, ut nuptias repudiare videatur. Domo ac familiaribus valescunt, & in varia loca stipem emendicantes, peregrinantur. Magnam hujus sectæ profanum ritum cum Ecclesiasticis nostris affinitatem habent. Recitantium cantus à nostro, quem Gregorianum vocamus, nihil dicas discrepare. In suis etiam fanis imagines exponunt. Eorum sacrificuli vestes induunt nostris omnino simillimas, quas Ecclesiastico vocabulo *pluvialia* vocamus. Inter recitandum sæpe nomen quoddam repetunt, quod etiam ipsi fatentur ignorare; illud *Tolome* sonat, videntur fortasse sectam suam Apostoli auctoritate voluisse cohonestare.

Sed hanc veritatis umbram teterrimæ mendaciorum nebulæ extinxerunt. Terram enim ac cælum, præmiorum poenarumque locum confuderunt, in neutro quippe animas æternitati addidèrunt, sed eas post aliquot annorum spatia denuo renasci jubent, in aliquo ex iis, quos plures statuunt, terrarum orbe, iisque tum præteritorum scelerum poenitentiam indulgent, si se correxerint,

& id genus alia, quibus hoc miserum regnum mirè affixerunt. Carnium usum & reliquorum viventium à mensis remouent, sed pauci hanc sibi abstinentiam indicunt, & facile his cæterisque peccatis reos absolvunt, si se aliqua stipe donaverint, imo suis se recitationibus, quos voluerint ab inferorum tormentis eripere se posse promittunt.

Hanc sectam legimus initio magno applausu inveni cœptam, ex eo maxime quod animum immortalem & alterius vitæ præmia clarè proponerent. Sed, ut rectè Sinenses ejus temporis Literati notant, quanto propius reliquis hæc secta ad veritatis speciem accedit, tanto suis imposturis foediorem luem sine sensu evulgavit. Sed nihil æquè auctoritatem ejus sectæ labefactavit, quam id quod sæpe Literati Sectariis objiciunt, eum Regem & Principes, qui primi hæc dogmata complexi sunt, morte violenta miserabiliter periisse, cæteraque omnia in pejus ruisse, & pro bona fortuna, quam plenis buccis promittunt, in varia infortunia publicasque calamitates incidisse. Ac his initiis ad hæc usque tempora, vario velut sæculorum æstu hæc secta excrevit ac decrevit, sed tamen librorum semper multitudine aucta est, sive ii ab Occasu recens adveniebant, sive in ipso Sinarum regno (quod vero similis est) nascebantur, hoc fomite semper hoc incendium vixit, nec unquam extingui potuit. Sed ex ipsa librorum varietate tantæ paulatim doctrinæ tricæ implexæ sunt, ut eas nè ipsi quidem qui eam profitentur valeant extricare. Antiquitatis porro vestigia hodiè que supersunt, in sanorum multitudine, & pleraque sumptuosa, in quibus immania idolorum monstra ærea, marmorea, lignea, luteaq; visuntur. His fanis contiguæ turres assurgunt, è lapide, vel latere, in iisque æra campana ingentia, aliæque magni pretii ornamenta, hodiè que conservantur.

Hujus sectæ sacrificuli Osciami appellantur, cæsariem ac barbaram continuo radunt, contra receptum gentis morem, partim, ut dixi, peregrinantur, partim in montibus ac speluncis asperrimam vitam degunt, maxima verò pars eorum, qui ad duos tresve miliones, ut Arithmetice loquar, accedunt, in sanorum cœnobiis degunt, assignatisque jam olim proventibus & eleemosynis sustentantur, tametsi sua quoque industria sibi victum parent. Hi sacrificuli & sunt & habentur vilissimi, simul ac totius regni vitiosissimi: omnes enim ex infima plebecula trahunt originem; nam à puero Osciamis antiquioribus in servos venditi, discipuli è servis fiunt, & Magistris in officio beneficiisque succedunt, quam illi rationem ad seipsum propagandos invenerunt: vix enim ullus reperitur, qui sua se voluntate, sanctioris vitæ studio ad impurissimos illos cœnobitas adjungat. Ex imperitia quoque & illiberali educatione Magistris simillimi, & quæ naturæ ad malum pronitas est, indices pejores evadunt. ita ipsi neque politiores

ritus, aut literas assequuntur, nisi forte nonnulli, sed ii perpau-  
ci, qui natura propensiores in literas, nonnihil propria fere industria  
consequuntur. Uxoribus licet careant; in Venerem tamen adeo  
proni sunt, ut à turpi mulierum consuetudine non nisi gravissimis  
pœnis arceri queant.

Osciamorum cœnobia in varias stationes dividuntur, pro ma-  
gnitudine singulorum. In singulis stationibus unus est illius ad-  
ministrato perpetuus, cui sui discipuli, quos quisque sibi in ser-  
vos coëmit, quot vult aut potest educare, hæreditario jure suc-  
cedunt. Superiorem in iis cœnobiis nullum agnoscunt. In pro-  
pria sibi que designata statione, quisque quot potest cellulas ex-  
struit, id quidem toto regno, sed in aula maximè, eas deinde  
cellulas habitandas pretio quæstû que magno locant advenis, qui ad  
sua negotia conveniunt, unde fit, ut hæc cœnobia publica potius  
hospitia magno adventantium tumultu inquieta videantur, in qui-  
bus nihil minus quàm idolorum cultus procuratur, aut nefaria secta  
explicatur.

Horum conditio, quantumvis vilis & abjecta, non impedit, quo-  
minus à multis ad exequias, aliòsque ritus, nonnullos, quibus  
animantia fera, volatilia vel terrestria, vel etiam aquatica, liber-  
tate donantur, lucelli alicujus faciendi gratia, evocentur. Ea  
quidam religiosiores hujus dogmatis sectarii viva coëmunt, ut ea  
denique in aërem, campos, & aquas, libera dimittant, arbitrati  
ea re se multum promereri. His porro nostris temporibus, non  
parum hæc secta revixit, cui templa multa instaurata vel erecta;  
ejus cultores serè sunt Eunuchi, fœminæ & rude vulgus, præ  
omnibus verò quidam, qui se religiosiores hujus dogmatis obser-  
vatores profitentur, quos *Ciaicum*, hoc est jejunatores dixeris.  
nam domi suæ per universam vitam carne & piscibus abstinent,  
& idolorum turbam fatibus adhibitis precibus domi colunt, & ne  
usquam lucri spes absit, in aliorum ædes præmio ad recitandum in-  
vitati evocantur.

Ab hac cœnobiorum ratione fœminæ à viris separatæ non exclu-  
duntur, eæ capillitium quoque radunt, & nuptias repudiant: has Sinæ  
sua lingua *Nicu* appellant, sed eæ etsi cum viris conferantur, multi-  
tudine longè superantur.

Venio nunc ad tertium profanæ Religionis dogma, quod *Lau-  
zu* appellatur. A Philosopho quodam, qui eodem cum Confutio  
tempore floruit, originem traxit. Eum fingunt annis 80. in pa-  
rentis alvo gestatum, priusquam nasceretur, qua ex causa *Lauzu*,  
id est, Philosophus senex appellatur. Hic dogmatis sui librum  
nullum reliquit, nec videtur novum dogma instituere voluisse,  
sed eum extinctum, sectarii quidam *Tausu* vocant, sectæ caput  
appellarunt, & varios libros è variis sectis & commentis stylo  
pereleganti concinnarunt. Dègunt hi in suis quoque cœnobiis  
cælibes,

cælibes, discipulorum emptores, æquè abjecti, & improbi, ut ii,  
de quibus supra diximus. Capillum minimè radunt, & eundem  
instar laicorum nutriunt, hoc solo ab iis distincti, quod ad  
nodum, quo crinem in vertice colligunt, pileolum ligneum  
gestant. Alii sunt etiam qui conjugio illigati, domi suæ religi-  
osiorum sectæ observationem profitentur, statasque sibi preces ani-  
isque recitantes.

Afferunt isti, se inter reliqua inanium deorum simulacra, cœli  
quoque Dominum venerari, sed corporeum illum, & cui indigna  
multa contigisse, ipsi etiam in suis libris, delirant, quæ deliria  
narrarem, nisi essent ab instituto meo aliena, sed tamen ex uno  
cætera licebit conjectare. Fabulantur cœli Regem, qui nunc re-  
gnat cognomine *Ciam* appellari, nam qui prius imperabat, *Leu*  
dicebatur. Hic die quadam in terras venerat super candido  
Dracone obequitans. Eum *Ciam*, quem conjectorem fuisse di-  
cunt, convivio excepit, interim verò dum *Leu* epulabatur, in  
candidum Draconem conscendit, à quo in cœlum evector cœleste  
regnum occupavit, & reverti conantem *Leu* in perpetuum ex-  
cludit, sed tamen à novo cœli Rege impetravit, ut monti cui-  
dam in hoc regno præsideret, ubi eum vivere nunc afferunt  
antiqua exutum dignitate. Atque ita illi ipsi se regni alieni inva-  
sorem ac tyrannum pro Deo venerari profitentur.

Præter hoc cœli Numen, triplex aliud effingunt, quorum u-  
num ipsum *Lauzu* sectæ caput faciunt: atque ita hæc duæ sectæ  
ternarium deorum suo quæque modo sibi fingunt, ut appareat  
ipsum falsitatis parentem, auctorem utriusque, nondum ambitio-  
sam de divina similitudine cupiditatem deposuisse. Hæc etiam  
secta de præmiorum ac pœnarum locis agit, sed in loquendi  
modo discrepant non parum à superioribus. Hi enim suis pa-  
radisum spondent ex anima simul & corpore constitutis, & in  
suis templis quorundam effigies exponunt, quos hac ratione in  
cœlum evolasse fabulantur. Ad eam rem consequendam exerci-  
tationes quasdam præscribunt, positas in vario sedendi situ, cer-  
tisque præcationibus, imo etiam pharmacis, quibus spondent unâ  
cum suorum divorum favore vitam posse sectarios consequi im-  
mortalem in cœlis, aut ut minimum vitam in mortali corpore  
longiorem. Ex quibus facile sectæ vanitas, & delirantium improbi-  
tas colligitur.

Hujus sectæ sacrificulorum peculiare munus est, dæmones im-  
piis præcationibus è domibus pellere. Idque duobus modis ten-  
tare solent; nam horrenda dæmoniorum monstra in flava papyro  
atramento delineata, domorum parietibus affigenda tradunt, inde  
tam inconditis clamoribus domos complent, ut ipsa dæmonia esse  
videantur.

Aliud etiam sibi munus arrogant, nam è sicco cœlo imbres  
elicere,

elicere, aut nimios continere, alia quoque privata, & publica infortunia se posse promittunt. Et quidem si quod spondent re ipsa præstarent, haberent qui se decipi sinunt, quo culpam elevent; sed cum omnia impudentissimi impostores mentiantur, nescio quid homines non stupidi prætexere possint aut causari. Et sanè, nisi quæ narrant, omnia uno mendacii nomine involvamus, videtur, ex iis aliquos magicæ artis præstigias assécutos.

In Regiis cœli ac terræ fanis hi sacrificuli resident, & regiis sacrificiis adfunt, sive ea Rex ipse per se, sive per nominatos Magistratus exequatur, qua re unâ non mediocrem auctoritatem adipiscuntur. Horum sacrificorum musicos concentus ipsi ex omnibus instrumentis apud Sinas receptis concinnant, quæ si simul pulsantur, absona Europæis auribus videntur. Evocantur etiam ad exequias, ad quas pretiosis induti vestibus procedunt, tibias & alia musica instrumenta pulsantes, novas etiam ædes consecratur, & supplicantium pompam per vicos ducturi accersuntur. Has pompas communi vicinæ sumptu vicorum capita certis temporibus institunt.

Hæc secta Prælatum agnoscit, cui cognomen est *Ciam*, quam ille dignitatem hæreditario in posteros jure à mille jam annis ad hæc usque tempora transmisit. Et videtur hæc dignitas originem traxisse à Mago quodam, qui in spelunca quadam Quiamensis provinciæ degebat, in qua hodièquæ illius posterii degunt, & artis suæ præstigias, si vera sunt quæ narrantur in liberos derivant. Hic eorum Antistes maximam partem Pequini degit, & à Rege colitur. Nam ab eo in intimum palatium penetrare consecraturus admittitur, si forte suspicio est, à malignis ea spiritibus infestari. Per urbem patente sella gestatur, & reliquum apparatus præfert, quem summi Magistratus solent, proventumque annuum ab Rege opimum accipit. Verum è quodam Neophyto nostro accepi, horum temporum Prælatos ita imperitos esse, ut nè sacrilega quidem sua carmina, ritusque norint. Ejus porro velut Præfulis facultas in plebem nulla est, sed in solos Tausus dogmatis ministellos, & in eorum cœnobia supremam exercet potestatem. Ex his porro cœnobitis plerique, ut longioris vitæ præcepta confectantur, ita Alchimisticis conflationibus insudant exemplo Sanctorum suorum, quos ipsi artis utriusque præcepta tradidisse commemorant.

Atque hæc sunt tria ferè Gentilicæ superstitionis capita. Sed neque in his humani generis vanitas conquiescit, singuli enim fontes labentibus paulatim seculis, à fraudum Magistris in tot mandros derivati sunt, ut sub triplici nomine trecentæ mihi sectæ inter se discrepantes numerari posse videantur. Sed & hæc quotidianis incrementis augentur, & in pejus ruunt, corruptioribus

indies

indies legibus, quibus inventores malorum vivendi licentiam se laxare profitentur.

Hujus familiæ, quæ nunc imperat caput, Humvus lege lata sanxit, uti tres illæ leges ad regni auxilium conservarentur, quod fecit, ut sectariorum omnium animos sibi conciliaret, sed ea tamen conditione, ut Literatorum dogma Reipublicæ administrationem gereret, ac cæteris præesset. Hinc fit, ut nulla sectarum aliam extinguere meditetur. Reges quidem singulas sectas colunt, & eas adhibent ad res suas cum opus est, singularum templa sæpe instaurant, vetera & nova erigunt. Regiæ verò uxores in idolorum sectam sunt omnino propensiores, & in eorum ministros multas eleemosynas conferunt, integræque alunt cœnobia extra palatii fines, ut eorum precibus adjuventur.

Unum incredibile videri potest, simulacrorum nempe in hoc regno multitudo non in fanis solum visitur, quæ sæpe aliquot milia colenda exponunt, sed privatis etiam in ædibus ferè singulis, loco jam gentis more ad eam rem deputato, in foro, in vicis, in navigiis, palatiisque publicis, hæc una abominatio pene primo se spectandam offert. Et tamen omnino certum est perpaucos esse, qui portentosis simulacrorum commentis fidem habeant, sed hoc solum sibi persuadent, ut si nihil ex hoc externo idolorum cultu boni accipiant, nihil sibi tamen inde mali posse provenire.

Porro his temporibus sapientissimi cujusque hæc est receptissima sententia; tres has leges in unam coalescere, ac simul omnes observari posse ac debere. Quare non ipsi se minus quam cæteros perturbatissimè in fraudem inducunt, arbitrati has de Religione quæstiones eò utilitati publicæ utiliores, quo plures fuerint de ea loquendi modi. Et ad extremum alia omnia quam quæ speraverant consequuntur, dum enim tres illas leges se simul omnes observare posse confidunt, exleges esse reperiuntur, cum nullam sincerè persequantur; atque ita non pauci tandem suam ingenuè irreligionem agnoscunt, & qui falsa credulitate seipfos fallunt, æquè omnes maximam partem in errorum profundissimo Atheismo versantur.

*De Indorum Religione ex Petro Texeira Lusitano, sicut hac in Latina Descriptione India leguntur.*

Incolæ hujus regni, inquit Texeira, dividuntur in Mahumetanos & Gentiles: Sed horum duæ tertiæ partes ferè unius sunt opinionis, licet ferè omnes Gentiles sequantur sanctam & opinionem Pythagoræ. Credunt enim animarum immortalitatem, illasque aut præmium aut pœnam consequi per transmigrationem in alia corpora. Afferunt enim quum quis moritur, secundum quod bene aut malè vixerit, in alterius animalis, aut boni aut mali corpus transire, atque inde aut meliorem aut pejorem conditionem nancisci, idque in infinitum: (huic contradicit Belgarum annotatio:.) Atque hæc causa est cur vaccas tantopere venerentur, & legislator illorum Ramak illas ipsis unice commendaverit, quas tanquam numina colunt, quia sunt animalia domestica, utilia & si bene tractentur (secundum ipsorum opinionem) ad bonas animas recipiendas comparata, præter hanc plures alias habent perabsurdas opiniones. Atque ex illa sequitur quod summa charitate utantur erga omnes animantes volatiles & terrestres, & neque illas occidant, neque comedant, quia animas credunt humanas in illas commigrasse; eoque ut in civitate Cambeyat, quam Lusitani vocant Cambayet & Cambayam publicum hospitium instituerint, in quo curant omnia animalia morbida, licet parum aut nihil curent homines, plurimumque expendunt in supersticiosa hæc deliria, quemadmodum me tum in India agente (inquit Texeira) in oppido Diu gentilis quidam Banean nuptias tauri & vaccæ tanta opulentia celebravit, ut decem aut XI millia ducatorum in illas expenderet, nè dicam xxx millia, ut quidam affirmant, quia malo certa & vera scribere.

In regno Gazeratensi varii sunt ritus & sectæ incolarum, & quod mirum, vix familiam invenias, in qua omnes congruant, alii comedunt carnem, alii nequaquam: alii comedunt quidem, sed non mactant animalia: alii nonnulla tantum animalia comedunt: alii tantum pisces; alii tantum lac & herbas: plurimi etiam blito rubro, vulgari in illis partibus herba, abstinent, quia sanguinem continere credunt, quem ipsis fundere nefas. Non pauci quoque & conservis, quia accharum albumine ovorum detracatur. Horarum quoque & temporum observantissimi sunt, adeo ut post solis occasum cibum sumere nefas putent. Denique longè supersticiosius, quam ullæ aliæ nationes caeremonias suas diabolicas observant. Indigenæ Guzeratenses sese communi nomine

nomine Vaneax ferunt, Lusitani corruptè vocant Baneanes. Horum licet variæ & pene infinitæ sint familiæ & sectæ, tamen tres censentur principales, Ion Kah, Mexery & Baman: priores duæ in eo differunt, quod Mexery idola habeant, eaque venerentur, Ion Kah minimè, sed unum Deum principium & finem omnium rerum agnoscant & colant: cætera, connubia inter se jungere & cibum unà capere detrectant. Baman, quos Lusitani & alii vulgò vocant Bramenes, in templis sacrificant idolis, præfunt connubiis jungendis & similibus: horum quidam ex elemosynis vivunt, neque tamen ipsis licet in ædibus Baneanum aut bibere aut cibum capere. Possident in meditullio regni Gazeratensis peramplam civitatem Byfantagar, & plures pagos in ambitu illius, in quibus circiter trigies mille familiæ ipsorum numerantur, gens olim inops, sed quæ hodie agricultura & animalia pascendo rem familiarem supra fidem auxit. Unam uxorem ducunt, quanquam & binas habere ipsis liceat (quod non licet Baneanibus) sed si uxor moriatur, secundam ducere non licet, cum viro mortuo, viduæ ad secundas nuptias transire integrum sit: contrarium observant aliæ sectæ. Nulli autem harum sectarum animalia mactare aut sanguinem fundere permittitur. Ità Texeira religionem Indorum descripsit, quibus abjungenda ea, quæ in descriptione Indiæ leguntur ex Belgarum annotatione desumpta: Hendowines, qui ab Asmere ad arctum & versus Muttan incolunt, itidem sunt gentiles, sed diversis à cæteris institutis: nam neque carne neque piscibus abstinent. Nudi preces suas concipiunt, & cibum capiunt circulo conclusi, quem aliis ingredi nefastum putant.

Gentiles qui Golcondæ regnum incolunt, religionem suam implicita fide hauriunt à sacerdotibus suis, quos vocant Bramenes, qui nullam aliam rationem illius reddere possunt, quam se à multis seculis à suis majoribus illam accepisse. Credunt antiquitus quidem tantum unum Deum fuisse, qui postea alios quosdam semideos sibi assumpsit è mortalibus, qui miraculis aut vitæ sanctimonia inclaruerint: his templa sua sive pagodes dicant, & prout cuique allibuerit, divinum cultum exhibent. Animalium quoque immortalitatem & transmigrationem in alia corpora credunt, unde & superstiosè à mactatione omnium animalium abstinent. Polygamia permixta quidem, sed non ità usitata, nisi ob conjugum infœcunditatem.

Ex



*Ex descriptione Belgica India, autore Johanne à Twist, direttore mercatura in India civitatibus nomine Belgicæ Societatis.*

**B**Ramenes sacerdotes in magno habentur apud Indos honore & maximæ autoritatis inter omnes hominum gradus, neque Indi quicquam alicujus momenti suscipiunt agendum antequam Bramenes consulant. Quo ab aliis hominibus promptius dignoscantur, dependent ab humeris eorum tres aut quatuor funiculi, quos nunquam deponunt, sed mortem potius oppetunt, quandoquidem religione ad hæc alligantur. Nudi plerunque incedunt, nisi quod corpus medium cingunt linteo, quo dependente partes genitales teguntur: interdum tamen levi tunica vestiti more reliquorum Indorum incedunt. Caput quoque albo linteo tegunt, capillus nunquam eis refecatur: aures annulis aureis plerique ornant. Scripturæ & supputationis periti valde sunt, acuto quoque ingenio: unde fit ut rudem plebeculam ineptis dogmatibus & opinionibus imbuant.

Numerantur sectæ præcipui nominis octoginta tres, sed præter has minus illustrium magna est multitudo, ita ut singulæ familiaræ peculiarem serè foveant religionem. Cæterum inter omnes quatuor maximæ sunt dignitatis & celeberrimæ, quæ appellantur, Ceurawach, Samaraet, d' Goegy & Bisnou. Communis omnibus est abstinentia ab animantium nece & carnis esu, ex qua lege multæ aliæ superstitiones dependent. Sectæ autem Ceurawach peculiaris dogmata hæc sunt: 1. Creationem hujus Universitatis nullam fuisse, sed omnes res propria virtute exitisse. 2. Fortunam faciunt Deam, neque alium agnoscunt Deum, sed præter illam venerantur unum divum seu sanctum, nomine *Tiel Thenerker*, a quo religionis suæ dogmata majores accepisse narrant. 3. Non infimæ superstitionis pars censetur, quod mane postquam electo surrexerunt, in templa se conferre debeant antequam faciem aut manus laverint. 4. In ordinem sacerdotum & monachorum assumuntur omnes, etiam ex vulgo, qui modo vestes sacerdotales induere atque regulis eorum vitam conformem agere volunt: neque foeminae excluduntur à sacerdotio, modò vicesimum annum ætas attigerit: sed masculi etiam octo septemve annorum admittuntur. 5. Uxoratis viris ut etiam maritatis foeminis divortium facere licitum est, si in religiosorum ordinem se conferre placuerit. 6. Jejunia & elemosynæ censentur ab iis præcipua bona opera, quibus Fortunæ gratiam sibi conciliare possint. Faciunt autem Fortunam non tantum felicitatis hujus vitæ Deam, sed

sed etiam illius potentia ascribunt animarum post mortem in aliorum brutorum corpora inclusionem, nimirum piorum animas in mansueta animalia, malorum in fera & crudelia & incarcerari volunt. 7. Mensis Augusti multos dies festos habent, aliis jejunia observant, quibus peccata expiari credunt. Sunt inter illos (ut certâ experientia deprehensum est) qui ad viginti, triginta, imò ad quadraginta dies jejunium tolerare queunt, quo tempore nullis cibis vescuntur, sed parum bibunt liquoris, cui ligni alicujus pulverisati sapore amaro paululum admixtum est, quod corpori alimentum qualecunque præbet.

Sectæ verò *Samaraeth* dictæ præcipuum dogma est, quod unus sit Deus totius Universitatis monarcha, qui & condiderit & conservet omnia, cujus etiam providentiâ gubernatur hominum vita & fortuna: vocantque eum vernaculâ linguâ *Parmiseer*. Præter hunc volunt tria minoris dignitatis Numina, quibus & divinum præstant cultum & certa munia ascribunt. Etenim primo quem *Brama* appellant, à supremo Deo hoc munus assignatum esse putant, ut animas in hæc vel ista corpora humana vel bruta pro Dei mandato compellat: Secundo, cui nomen *Buffuna*, demandatum esse, ut homines voluntatem Dei edoceat atque ad præcepta ejus (quæ quatuor descripta libris asservantur) servanda hortetur: præterea ut agris & arboribus fertilitatem indat, atque hominibus omnia ad sustentandam vitam necessaria suppeditet. Tertius vocatur *Mais*, qui tam hominum quam brutorum interficiendorum potestatem obtinere creditur. Mortuo itaque homine, animam hujus fabulantur ad secretarium supremi Dei *Premiseer* accedere ad rationem reddendam omnium eorum, quæ in vita egerit atque hæc diligenter annotata offerri Deo *Premiseer* ad sententiam ferendam, qui inspectis illis jubeat animas hæc in hominum vel brutorum & quidem mansuetorum vel ferorum corpora pro transactæ vitæ ratione migrare, nimirum ut à peccatis omnique labe repurgentur, quemadmodum Pontificij de Purgatorio suo statuunt. Atque hanc transmigrationem toties repeti arbitrantur, donec animæ illæ puræ sint à vitiorum sordibus. Tunc enim à summo Numine non amplius ablegari eas sed in ministrorum seu Angelorum cætum assumi docent. Diebus Festis liberalitate magna utuntur erga aves, quibus assatim cibum præbent, atque hoc in bonorum operum numerum reponunt. Hujus quoque disciplinæ sectatores sunt illi, quos *Raspoutas* vocant, homines sine omni mortis & periculi metu, & imperterriti milites totius Indiæ.

Secta Bisnou & Goegy in levibus tantum à jam explicatis sectis differunt. Bisnou sectam amplexi, Deum vocant *Ramram*, atque hunc nullis uti ministris docent, quæ præcipua est discrepantia à sectis reliquis: eidem quoque Deo uxorem tribuunt, cujus

cujus idolum non minus ac Dei in templis suis venerantur Musica, cantilenis, choreis, &c. Secta Goegy hoc habet peculiare, quod cultoribus suis non permittit proprias habere domos neque templa exstruere, sed hominum conversationem vitare atque in desertis & incultis locis vitam agere heremitarum modo laudat. Magna est sanctitatis illorum opinio apud Indos, & ipsi quoque se solos in Dei favore & benevolentia agere existimant, ideoque alios præ se contemnunt: cinere non tantum corpus nudum sed etiam capillum, qui illis nunquam tondetur, conspurcant. Multis sectis Indorum hoc quoque commune est, ut uxores, defunctis maritis in ignem, quo maritorum cremantur corpora, se ipsas præcipitent. Ad quam crudelitatem ut foeminae promptiores sint, persuadetur illis, quod uxores, quæ id fecerint, post excessum ex hac vita, in alia perducantur loca, ubi multorum annorum spatio cum maritis suis conjunctæ maneat, & eadem vivendi ratione & voluptate fruuntur, qua in hac vita.

Porro sectatores religionis Ceurawach, quam primo loco explicavimus, ab omnibus aliis Indis magno habentur odio. Sacerdotes quoque aliarum sectarum monent auditores suos ut illos caveant neque ulla cum eis consuetudine utantur. Unde fit, ut neque eodem cum eis poculo bibere, cibumque capere, neque illorum ædes ingredi urgente licet gravi imbre vel persequente bestia dignentur, vitam potius cum morte commutaturi.

#### *De Persarum in India viventium Religione Ethnica.*

Qui Persiam hodie incolunt, Mahometanam impietatem profitentur, idque à multis seculis, cum eodem anno quo Mahometes impiam exhalavit animam, nimirum tricesimo secundo supra sexcentimum à Christo nato, Othmannus Caliphæ Babylonii filius & Mahometi cognatione junctus, Persicum regnum occupaverat, Rege ethnico aliquoties antea cæso, atque ad eam necessitatem redacto ut naves in Gamrones & Ormuzii portu jacentes conscenderit relictoque hosti regno, in Indiam cum octo decim circiter millibus hominum, partim masculorum, partim foeminarum navigaverit, quo postquam appulerunt, Rex Cambaya concessit ipsis liberas in omnibus regni sui provinciis habitaciones: Rex vero Persiæ in gratiarum actionem Cambayensi donavit omnes illas naves quibus advecti fuerant; quandoquidem ad expellendos à Persia Mahometanos nulla spes supererat. Ex illo tempore Persæ hi dispersi sunt per omnia Indiæ loca, imprimis maritima, atque auctus est eorum in eximiam multitudinem numerus. Etsi autem tot jam secula, nimirum mille, apud Indos commorati sint, tamen nullam ex omnibus Indorum sectis susce-

susceperunt, sed suam avitam & vetustam religionem retinuerunt, singularem nimirum ethnicismum. Unum supremum, omni præsentem & totius mundi gubernatorem Deum credunt, nullius indigentem auxilio: hunc septem primariorum ministrorum seu inspectorum opera in administratione hujus Universi uti: primum ex hisce vocant *Hamasda*, cujus officium sit, homines ad honestatem vitæ hortari & impellere: secundum *Bhaman* præesse omnibus brutis terrestribus & aquatilibus: Tertium *Ardi-besth* ignis curam agere & cavere ne extinguatur: quartum *Sarywaer* in omnia metalla & mineralia potestatem habere, atque ideo peccatum esse censent, mineralia sordibus commixta relinquere: quintum *Eslander* de telluris atque agrorum conservatione sollicitum esse: sextum *Aawaerdath* maris atque aquarum munditiei conservandæ intentum esse: septimum *Ammadaeth* arborum fructuum, & herbarum calamitatem avertere: Atque hos septem inspectores in nullum animal necis potestatem obtinere sed supremo Deo de administratione sua rationem reddere teneri. Minoris post hos autoritatis ministros viginti quinque constituunt, quibus singulis peculiaris inspectio demandata sit.

Animas hominum credunt immortales, easque à corpore separatas per ministrum Dei Saroch duci ad judices dictos Meer-Resus & Saros, ut actiones vitæ examinentur ad libram, nimirum in una lance positis bonis operibus, in altera malis: Si illa præponderent, animas supremo Deo associari ubi perpetuis gaudiis fruuntur (talibus, qualia in hac vita homines magni æstimant) sin hæc, statim à Diabolis, qui libræ adstant, abripi in infernum, ubi sævo igne crucientur: Dari tamen ex inferno hoc liberationem. Etenim hunc mundum post mille annos interitum esse opinantur, aliūque novum creatum iri, quo tempore etiam animas ex inferno emittendas esse fingunt atque in novum hunc mundum deducendas. Tempa exstructa ab illis non sunt, sed domi suæ in conclavi aliquo sacerdotes faciunt, sacrum & divinum cultum peragunt: Ignem super omnia venerantur; neque extinguere patiuntur: hunc quippe Deo simillimam possidere naturam & proprietatem existimant. Hæc de Indorum horum, qui Persiæ originem debent, religione dixisse sufficiant: Siamensum religionem jam in prioribus proposuimus.

De

*De Religione Guineæ Incolarum, & vicinarum gentium in meridionali Africa Latere.*

**H**æc ad regiones mari adjacentes Pontificii monachi & Jesuitæ dudum penetrarunt, gentemque ad Christianam fidem adducere conati sunt: sed & hic parum promoverunt. Neque tamen omnino nihil effectum est, cum ingenio hæ gentes satis valeant & quidam non leviter religionem Pontificiam degustaverint. Refert enim Belga aliquis in Itinerario suo, quod cum quodam ex hac gente (Negros vocant vocabulo Lusitanico omnes populos Guineæ, Angolæ, Congi) de religione Christiana contulerit, atque hunc non tantum fundamenta capitum religionis citasse ex Evangeliiis & epistolis sacris, sed etiam controversias, quæ Pontificiis cum aliis intercedunt, novisse. Cæterum de paucitate neophytorum ipsi Lusitani conqueruntur, neque religiosi Pontificiorum ad interiora regna penetrarunt. Propriam autem gentis religionem nemo, quod sciam integrè descripsit, sed sparsim in Navigationum Descriptionibus quædam leguntur quæ collecta hic adjungam. Etsi enim quidam populos hosce sine ullo Dei cultu vivere existiment, alii eos solem atque Lunam venerari putent, (quod de quibusdam tantum verum est) quidam magis stultâ ignorantia arbores atq; animalia, ab iis coli scripserint; tamen illa, quæ annotata sunt ab iis, qui multis annis cum hac gente conversati sunt, non assentiuntur de omnibus.

Primò gentes hæ pleræque Deos quidem multos colunt, sed unum supremum Numen agnoscunt; nominant autem *Fetisso*. Hunc non tantum bonorum sed etiam omnium malorum & aduersorum casuum causam esse opinantur, ideòque sacrificiis & multis cæremoniis atque precibus placare student.

Tonitrua & fulgur valde extimescunt, atque hisce præcipuè ad cœlestis Numinis existentiam credendam moventur. Nam quod ad annuos fructuum è terra nascentium proventus attinet, hosce non Dei benignitati sed terræ ascribendos esse existimant. Cum Europæi illis amorem Dei erga homines & munificentiam prædicarent, indignabantur & murmurabant objicientes, Cur Deus, si ità bonus esset, ipsis quoque non largitus esset eas res, quibus videant Europæos abundare, pannum lineum, laneum, ferrum, vitrum, pelves, &c. (opinantur enim hæc sine artificum opera reperiri in agris, sicut ipsi nullas res parant, sed à natura productas usurpant) & cum ad hæc responsum esset, Deum etsi non concessisset illis talia, nequaquam tamen liberalitatem suam erga eos clausisse; sed pro hisce alia illis largitum esse, nempe aurum;

rum, vinum è palma, milium, bananas, Jnjasas, & alios fructus; præterea gallinas, boves & oves: illi negabant à Deo hæc proficisci, neque capiebant, quomodo à Dei benedictione dependent. Namque aiebant, aurum quærimus magna industriâ & invenimus in terra: milii semina terræ mandamus, & deinde divite messe colligimus pro diversâ agrorum fertilitate: fructus præbent nobis arbores quas plantavimus, quarum aliquas Lusitani attulerunt: agni procreantur ab ovibus continua sobole, pisces mare largitur, &c. Ità illorum sensus telluri infixi hærent, ut mentem ad superiorem causam agnoscendam non erigant. Deo & corpus & colorem (nigrum nimirum, quali ipsorum corpora sunt & quem elegantem arbitrantur esse) attribuunt, quod cum multis Orientalibus populis commune habent: Spirituum enim naturam & incorporeæ substantiæ existentiam ignorant.

Observant autem quosdam ritus, ex quibus non sine ratione colligere possis, quod vel Mahometani quidam huc penetrarint, vel illustrem & famosam illam Israëlitarum navigationem sub auspiciis Regis Salomonis ad hæc loca olim institutam fuisse (quod etiam ex auri copia & eboris multitudine probatur, quæ duo in nulla Asiæ vel Africæ regione reperiantur, saltem non eâ copia) atque tunc Judaicam religionem à populis littori vicinis susceptam. Etenim & circumcisionem adhibent in infantibus, & septimum quemque diem Divino cultui dicant, quo ab omni opere abstinent, & conveniunt ad audiendam Sacerdotis concionem, quæ non tantum sermone sed sacrificiis & multis aliis ritibus peragitur. Septimus autem hic dies nec cum nostro die Dominico, nec cum Judæorum sabbatho, nec Turcarum die Veneris convenit: namque in Martis diem incidit.

Multi ex illis incantatores & necromantici esse dicuntur. Narratum mihi est à pluribus Belgis, qui hoc anno, quo hæc scripsi, ex Angolâ venerant, reginam Angolæ inconsulto Diabolo (cujus malitiam non satis norunt hi populi) nullum negotium suscipere neque iter instituere. Ipsam enim magicæ artis peritissimam efficere, ut malus spiritus unum ex mancipiis ejus servis, nimirum occupet, qui mox abalienatis animi viribus furibundus discurrat, atque reginæ quærenti de eventu respondeat. Sunt verò populi Angolæ & vicini anthropophagi, atque hostium carnem (tam indigenarum quam Lusitanorum) avidissimè vorant prius coctam vel assatam, cui usui regina multos captivos secum circumducit errabunda: regni quippe pars maritima à Lusitanis adempta ei est, atque cum hisce internecinum bellum gerit non tam justo prælio decertans quam frequentibus invasionibus & velitationibus.

Porro etsi hi populi animæ suæ nullam habeant cognitionem neque de ejus immortalitate quicquam norint, tamen plerique ex

tradita quasi per manus à multis seculis doctrina credunt alium præter hanc terram locum, in quem defuncti proficiscantur. Atque ideo quando aliquis mortuus est, varii generis suppellectilem atque cibos ei solent dare atque cum eo sepelire: quia opinantur, quod in altera illa vita non secus ac in hac eis sit opus futurum. Quod si etiam aliquo post sepulturam tempore cognati quædam ex ædibus suis ablata esse deprehendant, non indignantur nec furibus ascribunt, sed à defuncto cognato, qui eorum opus habuerit in altero illo mundo, adempta fuisse arbitrantur. Victimæ quoque pro defuncto offerunt diis atque sanguinem illarum in Deorum simulacra stillant, vel etiam illinunt. Multas alias inanes cæremonias & ritus quibus in precibus suis & ad placandos Deos utuntur, dedita opera omitto.

De Americanarum gentium religione supra in genere egi, neque lubet amplius vanitates ethnicas explicare.

---

FINIS.

---

Quoniam



Quoniam sequentes paginas Typographus vacuas fore vidit, ideo rogavit, ut quædam adjungerem. Itaque ex Leone Africano pauca excerpti, quæ sequuntur.

*Priscorum Afrorum fides atque religio.*

**U**erunt Africani illi antiqui idololatriæ dediti, quemadmodum & in hunc diem adhuc sunt Persæ, qui alii Solem, alii ignem ceu Deos colunt. Habuerunt jam dicti Africani magnifica atque amplissima templa, cum in Solis, tum in ignis honorem extructa. In his noctes atque dies accensus fovebatur ignis, accuratèque cavebatur, nè quid extingueretur, uti & apud Vestales Romanas factitatum legimus: quæ omnia fufius atque copiosius videre licebit apud Persarum ac Africanorum Chronographos. Qui Numidiam & qui Libyam incolebant Africani, planetam quendam quisque adorabat, cui & sacrificia atque vota fiebant. Quidam ex illis quos antea Nigri vocabulo notavimus Guighimo, hoc est Cæli Dominum venerabantur, fuitque illis sanior hæc mens, non à propheta quodam aut doctore, sed quasi divinitus introducta. Indè Judaicam tandem sibi assumpserunt legem, in qua & multis annis stetit dicuntur. Postea & Christianæ fidei assertores, in ea tempora Christiani remanserunt, quibus suborta Mahumetanorum superstitio est, quod evenit anno Hegiræ 208. Eo tempore quidam ex Mahumetis discipulis apud hos tanta facundia, tantæque linguæ fallacia habuê conciones, uti infirmos adhuc animos in suam pertraxerint sententiam, adeo ut omnia illa Nigritarum regna quæ Libyæ adjacent, Mahumetis sibi fidem assumpserint: vixque ulla illic reperiri poterit

rit regio, quæ Christianos in hunc usque diem habeat. Qui rum aut Judæi, aut Christiani, aut Afri inveniebantur, statim interfecti sunt atque omnino deleri. Illi verò qui mari Oceano viciniore sunt, idololatriæ cum primis incumbunt omnes. Maxima his fuit estque & in hunc usque diem cum Lusitanis consuetudo. Barbariæ incolæ in permultis annis idolorum cultores remanserunt, verum annis ante natum Mahumetem plus minus ducentis & quinquaginta, fidem Christianam assumpsisse dicuntur: id eam ob causam factum putant, quòd ea pars quæ Tunetum atque Tripolitanum continet regnum, olim duces habuit Apulienfes ac Siculos, Cæsariæ verò & Mauritanix tractus, Gothis paruisse creditur. Quo etiam tempore permulti Christiani Gothorum furorem atque rabiem fugientes, dulcia liquerunt Italiæ arva, & ad ea loca tandem venerunt, quæ Carthagini vicina sunt: ubi postquam aliquandiu sedes fixissent, ejus regionis dominium sibi usurpavere. Qui tamen Barbariam inhabitabant Christiani, nihil Romanæ ecclesiæ ritus curantes, illorum vivendi formam atque religionem sequebantur, qui Arriani dicti erant: in horum numero fuit eximia ille pietatis atque eruditionis vir Divus Augustinus. Cùm ergo Arabes ad sibi subigendam Barbariam venissent, Christianos jam adjacentis regionis principes effectos invenerunt, quare & acriter utrinque, pugnatum, victoriam tamen tandem penes Arabes remansisse dicunt. Arriani ergo rebus omnibus atque dominio destituti, partim Italiam, partim Hispaniam adierunt. Post Mahumetem mortuum annis circiter ducentis, tota ferè Barbaria Mahumetis fidem atque normam assumpsit. Postea verò frequentioribus inter hos dissidiis obortis, Mahumetis fide neglecta, omnes ejus sacerdotes atque regionis duces necavere. Quæ res mox ubi ad Pontifices devenisset, copioso admodum exercitu in rebellantes Barbaros, id est, in eos qui à Bagadedæ Pontifice defecerant, atrociter animadversum est. Ex eo tempore jactum est Mahumeticæ legis perniciosissimum fundamentum, remanserunt tamen & in hunc usque diem multæ inter eos hæreses.

De

*De Fessanis idem Leo Africanus hac habet.*

**R** emanferunt & apud Fessanos certa vestigia festivitatum à Christianis olim institutarum, cæremoniis utentes, quas nec ipsimet intelligunt. Pridie nativitatis dominicæ ferculo quodam vescuntur, ex variis herbis composito: coquuntur & apud hos omnia ferè leguminum genera, quibus eadem nocte ceu delitiis vescuntur. Primo anni die pueri nobilium & mercatorum domos larvata facie adeunt, & cantiunculis quibusdam fructus venari solent. Cùm apud Christianos Baptistæ natalitia celebrantur, maximos ubique videas ignes multo stramine compositos. Ubi puero dentes adventare vident, convivium à parentibus paratur, itidem pueris, quod Latino vocabulo Dentillare vocant. Habent & alias consuetudines & modos auguria sumendi, quales Romæ atque in aliis Italiæ civitatibus observari vidi. Quod ad festa attinet, quæ in lege Mahumetica præcipiuntur, ea fusius in eo libello descripta reperies, quem de lege Mahumetica conscripsimus.

Puerorum apud Fessanos literas addiscere volentium, ducentæ ferè numerantur scholæ, quarum quælibet formam aulæ habet amplissimæ. Circumcirca visuntur certi gradus, quibus pueri ceu sedilibus utuntur. Ludi magister legere ac scribere docet non ex libro, verum è tabula quadam maxima. Quotidie sententia una aut altera Alcorani exponitur: quo absoluto, rursus ab initio auspicantur, idque toties reiteratur, donec memoriæ tenacissimè insculptum hæreat, quod ad plurimum fit septennio. Deinde gymnasiarcha pueris orthographiæ partem aliquam prælegit, verum ea sicut & reliquæ grammaticæ partes, multò exactius in collegiis, quam in hujusmodi scholis trivialibus tractantur. Exiguam admodum præceptoribus numeratur stipendium, verum quando pueri Alcorani partem aliquam attigerunt, solent ludi magistro munuscula aliquot pro facultatum ratione adferre. postquam verò puerorum quisquam integrum ad unguem habet Alcoranum, pater condiscipulos omnes magnifico excipit apparatu: in quo filius splendide vestitus pulcherrimo vehitur equo, quem una cum vestibus civitatis regiæ Præfectus mutuo dare tenetur. Reliqui scholastici eum comitantur pariter equites adusque hospitium quod ingrediuntur, varias cantilenas in Dei laudem ac Mahumetis canentes. Deinde convivium pueris paratur splendidissimum, cui quotquot sunt patri affines, interesse solent: tum quisque ludi magistrum aliquo munusculo salutatur, pater verò novis illum vestibus ornat. Solent & pueri celebrare festum ipso natali Mahumetis, quo parentes mittere in scholam faciunt:

T 2

nentur:



nentur: deferunt singuli pueri singulas faces, quarum nonnullæ triginta libras pendent. Sunt autem faces elegantissimè confectæ, variisque circumciua cereis exornatæ fructibus, ipsoque diluculo incensæ ad solis exortum ardent, interea succentores aliquot Mahumetis referunt laudes, móxque exorto sole finitur illius diei festivitas: solétque hic dies maximam ludimagistris adferre utilitatem. vendunt enim quod reliquum illis relinquitur ceræ centum aut eò plus interdum aureis. Pro scholæ locatione, nemo quicquam exolvit: nam ante aliquot lustra in studiosorum gratiam exstructos intelleximus ludos literarios. Quicquid cereis ornatus gratia additur, ludimagister inter pueros & succentores distribuit. Tam in publicis quam trivialibus scholis duobus qualibet septimana diebus feriatur, quibus nec docent, nec student.

Reperias & hic doctos quosdam, qui se sapientes philosophosque morales appellari volunt. Regulas nonnullas observant, quarum nec ipse unquam meminit Mahumetes. Hi à nonnullis catholici, ab aliis hæretici habentur, maxima tamen vulgi pars illos ceu divos verentur, tametsi multa illicita velint, quæ lege Mahumetica sunt interdicta, cujusmodi est illud: Mahumetica lege veritum, nè quis amores suos cantiunculis Muscis exprimat, quod illi tamen fieri posse affirmant. Innumeræ in hac lege reperiuntur regulæ, quarum quælibet suos habet fautores atque protectores doctissimos. Secta hæc incepit pullulascere anno post Mahumetem octuagesimo, & qui primus eam introduxit Elhesenibnu Abihasen nominabatur, Basra oppido oriundus, hic discipulos quos in suam sententiam illexerat, regulas aliquot edocuit, cæterum nihil omnino scriptum reliquit. Post hunc circiter annis centum fuit alius quidam insignis à Bagadedo (Elharit Ibnu Efed appellabant) qui egregium discipulis suis scriptum reliquit. Postea quotquot illius reperti sunt fautores, à pontificibus & legisperitis damnati sunt. Octuagesimo deinde anno cœpit eadem hæresis repullulascere sub insigni quodam viro, qui per multos ad se pertraxit, quibus publicè doctrinam suam prælegebat. Tandem cum omnibus suis à Pontifice ac Jurisperitis morti damnatus est. quod ubi hæresiarcha intellexit, subito literis ad Pontificem datis, petiit ut cum Legisperitis de sua doctrina liceret disputare, à quibus si vinceretur, æquissimo animo se mortem subire velle, sin minus, non decere ut pro injusta calumnia tam multi perirent innocui. Pontifex justam arbitratus petitionem, quicquid scriptum erat approbavit. Ubi ergo ad concertationem ventum fuit, jurisperitos omnes facillimè devicit. Quod ubi Pontifex animadvertisset, sententiam ceu iniquè latam revocavit, & collegia & monasteria permulta in ejus asseclarum usum exstrui iussit. Remansit post hunc ea hæresis annis circiter centum, donec Imperator Malicfacho, stirpis & originis Turcicæ, ex

Asia

Asia majore huc veniens, omnes ejus sectæ assertores delevisset. Horum nonnulli ad Chairum, reliqui in Arabiam confugerunt, qui viginti annos huc atque illic dispersi, donec regnante Caselo nepote Malicfachi, Nidamus Elmulus ejus consiliarius, vir magni ingenii, sectæ huic addictus, eam restituit, erexit, atque ita confirmavit, ut opera doctissimi cujusdam Ebgazzuli, qui de ea re insigne opus in septem divisum partes conscripsit, Legisperitos cum hujus dogmatis assertoribus reconciliaverit, ea tamen conditione, ut Jurisconsulti prophetæ Legis conservatores, hi verò ejus doctrinæ reformatores appellarentur. Remansit hæc inter eos concordia, donec Bagaded a Tartaris excisa fuit, quod anno Hegiræ sexcentesimo quinquagesimo sexto accidit: quo tempore adeo illorum creverat numerus, ut totam ferè Asiam atque Africam occuparent. Neque quenquam in eorum admittebant ordinem, nisi literatissimus atque in omni disciplinarum genere exercitatissimus esset, quò & suam legem defendere, & adversariorum opiniones refellere posset: nunc autem quantumvis rudem ac literarum ignarum admittunt, affirmantes nulla hic opus esse eruditione nam Spiritus sanctus (inquiunt) illis qui mundo sunt corde, veritatis aperit cognitionem, multasque in hanc sententiam rationes adducunt, quamvis non admodum validas. Sprentis igitur patrum ritibus, legisque observationibus, nihil aliud quam delicias voluptatésque ambiunt. crebrò convivantur, lascivas proferunt cantiones. Interdum vestes pro versuum quos cantillant ratione, aut pro ingenii corruptissimi depravatione dilacerant, se tum amore divino correptos mentientes: ego verò ciborum affluentia & crapula correptos potius dixerim. singuli enim tantum cibariorum abliguriunt, quantum tribus facile sufficere posse dicas. aut, quod verisimilius apparet, hos clamores planctibus comitatos extollunt, quod imberbium juvenum amore correpti sint. Nonnunquam enim contingit, ut ad nobilis cujusdam viri nuptias accersatur unus ex præcipuis cum universo discipulorum coetu, qui convivium auspiciaturi, orationes & cantiones divinas recitant: absoluta verò cœna, qui majores natu sunt vestes saltaturi dilacerant: quod si inter choreas quenquam propter copiosiorum potationem cadere contingat, mox ab uno discipulorum erigitur, atque lascivius plus satis deosculatur. Unde proverbium apud Fessanos ortum: *Heremitarum convivium*; quo tunc uti solent, cum discipulum aliquem sui domini sponsum esse intelligunt.

Inter has sectas reperias nonnullos, qui diversam non legem modo, verum & fidem quoque habent, quare à nonnullis hæretici habentur. Sunt & nonnulli qui hominem per bona opera, per jejunia, & abstinentiam, angelicam naturam adipisci opinantur, quæ ita mentem expiare & ab omni crimine liberare vo-

lunt, ut peccare tametsi vellet, nullo modo posset: Verum hanc felicitatem attingere non posse credunt, nisi prius per quinquaginta disciplinarum gradus ascenderint: & licet in peccatum inciderint, priusquam quinquagesimum attingant gradum, id sibi à Deo peccatum non imputari dicunt. Hi principio quidem strictissimam agunt vitam, jejuniò mirum in modum sese macerant: deinde omni deliciarum ac voluptatum generi vacant. Habent quoque arctissimam vivendi normam à doctissimo quodam Esseh-ravardo, à Sehravard Corasania civitate oriundo quatuor libris descriptam. Fuit & alius autor, dictus Ibnul Farid, hic omnem illorum fidem festivis versibus descripsit, qui allegoriis referti nihil quàm amores tractare videntur: quam ob rem Elsfarganus quidam, opus commentario explicavit, atque ex versibus sectæ canones pertrinxit, & gradus per quos transeundum est, ostendit.

---

F I N I S.

---

DISSER.



## DISSERTATIO

### *De Rebuspublicis in Genere.*

Quoniam Descriptio hæc mea Japoniæ numerum Rerumpu-blicarum claudit, non ingratum juvenibus fore putavi, si quædam cognitu necessaria de Rebuspublicis in genere & earum numero præmiserò.

#### DE DEFINITIONE.

Respublica communiter & jam & olim sumitur pro Democrati-a & Aristocratia, & frequenter angustiori adhuc significa-tione pro sola Democratia, ut Monarchia seu Regnum excluda-tur ab hac significatione. Sæpe etiam ita sumitur, ut Bonas tan-tum Gubernationis formas pravis exclusis comprehendat. A Po-liticis tamen ita latè plerumque sumitur, ut non tantum Re-gnum sed etiam omnes gubernationis formas bonas & pravas comprehendat. Ita in genere eam definit Aristoteles libr. 3. Po-lit. c. 1v. Est, inquit, Respublica, ordinatio civitatis (latè sic sumitur civitas) circa omnes quidem magistratus, maxime autem circa id, quod summam in civitate habeat auctoritatem, sive quod principalissimum sit. Principalissimum autem est id, quod ubique gubernat & regit civitatem. Hæc Aristotelis est Definitio, quam si simpliciore & clariore cupis, dico quod Respublica sit ni-hil aliud, quam modus & forma juxta quam civitas gubernatur. Qui verò Rempublicam ita latè sumere nolunt sed strictè pro Democratia, illi pro generico vocabulo usurpent Formam gu-bernationis. Atque hæc homonymia in vocabulo Reipublicæ non negligenda est in autorum Læctione. Alia quoque homo-nymia est, cum Respublica sumitur pro ipsa gente, quæ una guber-natione regitur.

## DE DIVISIONE.

Aristoteles libr. III Polit. cap. v. de divisione hæc habet: cum gubernatio civitatis & regimen idem significant, regimen autem est potestas civitatis: necesse est, potestatem hujusmodi aut penes unum esse, aut penes paucos, aut penes multos. Quando igitur unus, vel pauci, vel multi, communem utilitatem in gubernatione sequuntur, has esse rectas Rerumpublicarum species necesse est: quando autem ad propriam utilitatem vel unius, vel paucorum, vel multitudinis gubernatur, transgressiones sunt & labe. Vocare autem consuevimus, cum unus ad utilitatem communem respiciens gubernat, Regiam potestatem. Cum vero pauci gubernant, plures tamen uno, optimatum gubernationem (Aristocratiam,) vel ex eo quia optimi præsent, vel ex eo, quia ad optimum publicum administrant. Cum autem multitudo gubernat ad communem utilitatem, vocatur communi nomine Rerumpublicarum omnium, Respublica. Prolabuntur vero ac transgrediuntur hujusmodi species. Ex regia quidem gubernatione in tyrannidem: ex optimatibus vero, in paucorum potentiam: ex republica autem in popularem statum. Tyrannidem enim esse dicimus, dominatum unius ad proprium commodum intendentis: Paucorum autem potentiam, cum ad opulentorum commodum gubernatur. Popularem autem statum, cum ad commodum eorum. Harum enim nulla ad communem utilitatem respicit. Idem Aristoteles cap. x, Regiæ gubernationis seu Respublicæ quinque species recenset ita: Facile est intueri quod plura genera sunt, nec est omnium regum modus unus potestatis. In Lacedæmoniorum enim Republica videtur Rex esse maxime secundum leges. Neque enim potestatem habet omnium: sed cum egreditur extra regionem, imperium habet eorum, quæ pertinent ad bellum; præterea sacrificia: vitæ necisque alicujus non habet potestatem, nisi dum bellum gerit.

Una ergo species regni (Laconica) est autoritas belli perpetua, & quandoque per genus, quandoque per electionem hujusmodi regnum obtinetur. (Hanc Aristoteles cap. xi negat esse regni speciem revera, sed nomine tantum quia etiam in Democratia talis esse possit. Et revera si verum fateri volumus, is Rex non est, quales etiam in Europa reperiuntur. Contra alii, etsi regiam absolutam potestatem obtineant, tamen usus invaluit, ut Reges non vocentur, sed alio nomine. Ita dicimus Magnus Dux Moscoviæ vel Russiæ, Magnus Dux Lithuanicæ, Magnus Dux Florentinæ, Cæsar Romanus, Cæsar Turcarum. Poloniæ Reges olim Principes tantum vocabantur, sicut etiam Bohemiæ, cum tamen

eo

## DE REBUSPUBL. IN GENERE. 281

eo tempore majorem quam deinde potestatem haberent. Ita Pontifex Romanus non dicitur Rex, etsi parti Hetruriæ, Ducati Spoletano, Marchiæ Anconitanæ, Romaniolæ & Romano agro imperet.

Abusus quoque est vocabuli Regis, quando illi tribuitur, qui alium Dominum agnoscunt, & ideo Reges proprie loquendo non sunt, Regi ut Neapolitano, Bohemiæ, Maroccensi, Tunetano, & aliis multis in India Orientali, Japonia & Africa. Certè eodem jure Princeps Transylvaniæ Rex dici debet. Verum hæc copiosorem explicationem postulant, quam ut à nobis explanari possint, neque sine distinctione & diversa feudorum conditione judicanda sunt. Itaque exactam hac de re informationem qui desiderat, is consulat libros Jurisconsultorum, qui de Feudis & Vasallis copiose tractarunt.)

Secunda Monarchiæ species est, Barbarica, qualia sunt apud quosdam Barbaros regna, vim habentia proximam tyrannidi, licet sint legitima & secundum morem parata.

Tertia est species, ut antiquitus in Græcia fuere, quos vocabant Æsymnetas. Est autem hæc, ut simpliciter dicamus, electiva tyrannis, differens à Barbarica, non eo quod legitime, sed eo quod non legitime, sed eo quod non consuetè fiat. Potestas autem hujusmodi aut vivente eo durabat, aut tempore quodam præfinito, vel rebus gestis finiebatur. Hujusmodi species, quia tyrannicæ sunt, dominationem habent: quia verò electivæ sunt & volentium, Regiæ.

Quarta species regni est, quales erant heroicis temporibus spontaneæ secundum morem & legem, Volentium scilicet & in quibusdam determinatis rebus. Dux enim belli & judex controversiarum erat Rex, & Dominus caeremoniarum erga Deos.

Quinta est species regni, quando unus omnium habet potestatem. Hanc Aristoteles cap. xii l. 3. ait esse proprie dictum regnum.

Aristocratia, Democratia, Oligarchia species idem Aristoteles explicat libro quarto Politicorum, ad quem lectores remittimus.

Cæterum hodierni Politici dividunt Respublicas in Simples & mixtas: simplices non aliter explicant, ac jam ex Aristotele diximus. Mixtas autem vocant, ubi gubernatio non pure juxta unam formam sed partim juxta unam, partim juxta alteram instituitur vel non absoluta est Regis, Optimatum, populi potestas. Et quidem cum tres sint bonæ formæ Rerumpublicarum, erunt mixtæ quadruplices, nimirum.

Mixtæ } Ex Monarc. & Aristocratia.  
 } Ex Monarchia & Democrat.  
 } Ex Aristocratia & Democrat.  
 } Ex Monar. Arist. & Democr.

Si

Si verò etiam pravæ Reipublicarum species numeremus, multò plures erunt possibiles mixturæ. Non me latet, quod mixtæ hæc Reipublicæ à quibusdam Politicis explodantur: sed eam controversiam hic meam facere nolo. Id tamen manifestum esse arbitror, esse illas vel species Reipublicarum, vel saltem determinationes & limitationes simplicium, valde cognitu necessarias, utiles & tales, quarum considerationem Politicus nequaquam omittere debeat. Aristoteles quidem divisionem hanc expressè non ponit, ipsam rem tamen clarè satis libro quarto pluribus locis habet, in primis cap. VIII inquit: Ubi Reipublica respicit ad divitias & ad virtutem & ad populum, ut est apud Carthagenenses, ea naturam optimatum sapere videtur: & ubi ad duo illorum solum, ut Lacedæmoniorum, ad virtutem & populum: & est hæc MIXTURA popularis ac virtutis (Aristocratia.) Sed satis de hoc, quia non de re sed verbis controversia est.

### DE OPTIMA FORMA REIPUBLICÆ.

Quænam sit optima Reipublicæ forma, de eo Politici disputare solent. Græci olim Democratiam prætulērunt, moderatorum plurimi Regiam potestatem, pauci Aristocratiam, alii mixtas species commendant, nimirum singuli eam præstare aliis contendunt, in quali ipsi vivunt. Et quia veteres, Socrates, Plato, Aristoteles, aliique in Democratica vivebant civitate, hanc formam laudarunt: hodie quia perpaucae restant democraticæ gubernationes, multæ verò regie, ideo Politici hodie regnum Democratia præponendum contendunt. Neque id sine causa, quia in Democratia docti & Politici in parva sunt æstimatione. Ut autem sincera & absque præiudicio de hoc sententiam feramus, sciendum est quæstionem hanc duplicem vel etiam triplicem admittere & comprehendere sensum, idque propter homonymiam, quæ in voce OPTIMA latet. Etenim sicut Bonum triplex est, 1. Honestum seu iustum, 2. Utile. 3. Jucundum, ita quoque de optimo intelligendum est quod triplex sit. Et de jucundo quidem Optimo hic quæstio esse nequit, sed de Justo & Utili: ita ut hæc duæ quæstiones sint:

1. Quænam sit iustissima seu legi naturæ & rationi maximè conformis Reipublicæ?

2. Quænam sit omnium utilissima, seu, maximè conducens commodo civium, & tutos eos reddat ab omni amittendæ libertatis periculo. Tertium quoque sensum admittit, Quænam sit & iustissima & simul utilissima?

Et si enim Cicero in tertio libro de officiis, multis disputet ex

Panæ-

Panætio & defendere nitatur, idem esse honestum & utile, acriterque iu contrarium sentientes invehatur, tamen ea Oratio plus habet splendoris quam Veritatis & fundamenti. Vocabula enim valent ut nummi, & quod utilia dicantur bona in communi vita, respectu ipsius utilitatis, nemo ignorat nisi qui vitam humanam ignorat.

Resoluta itaque propositione in triplicem sensum, dico, quod Categoricè responderi non possit, in quocunque sensu ex istis tribus sumatur. Nam si primam quæstionem consideremus, quoniam in diversis societatibus diversa est sæpe conditio hominum, & in quibusdam plures virtuosus, in aliis plures vitiosus, ideo cum distinctione respondendum est, & quidem ex illo axiomate, quod pars est legis naturæ seu rectæ rationis, nimirum hæc: Præstantiores & prudentiores, minus præstantibus imperare decet, & magis honorari: similibus autem & æqualibus idem jus & eadem dignitas convenit. Hoc supposito, facile est colligere, si unus aliquis in civitate ita virtutibus exornatus sit, ut parem in hisce non habeat, illi deberi supremam potestatem, & in ea civitate iustissimam esse regiam gubernationis formam.

Si autem non unus excellens sed plures pares virtute adsint, æquum est illos quoque omnes admitti ad gubernationem, & in ea civitate iustissima erit Aristocratia: cumque illam æqualitatem in plerisque societatibus videamus, absolute responderi potest, Aristocratiam esse iustissimam. Et hæc causa est, quod sapientissimus Mundi Gubernator Deus Opt. Max. populo Israëlítico Aristocraticam Societatis rationem præscripserit, in qua etiam beatè & feliciter vivebant usque ad Regem primum Saulem. Etenim seniores, qui ante reges summæ rerum præerant, Aristocratici erant Magistratus. Hanc quoque ob causam Aristoteles Aristocratiam aliquoties vocat Rempublicam Virtutis.

Si verò vel omnes cives pariter virtuosus vel minus virtuosus sint, tunc Democratia conformis est naturæ.

Quod si unus in una virtute excellat, alii vero in alia virtute, vel plerique cives tunc mixta Reipublicæ forma æquitatem observavit. Atque ita si solum æquitatem & quid iustum sit spectemus ut in prima quæstione, satis declaravimus nostram sententiam.

Si autem secundam quæstionem spectemus, hæc quoque varia complectitur, nempe, quænam forma magis valeat ad rem faciendam, ad commodiorem civium vitam, ad præcavendas seditiones & tumultus, ad arcendos hostes, ad conservationem libertatis, &c. Aristoteles libr. 3. polit. cap. ultimo, hanc quæstionem ita solvere conatur: Primo determinandum est, inquit, quid congruat Regi, quid Optimatibus, quid Reipublicæ (hic sumitur pro

pro Democrãtia.) Regibus congruit hujusmodi multitudo, quæ naturã apta sit ferre genus præstans virtute ad principatum civilem. Optimatibus (Aristocratia) congruens est multitudo liberorum, quæ nata sit ad ferendam gubernationem eorum, qui sunt secundum virtutem primarii. Ad civilem autem gubernationem Reipublicæ congruit ea multitudo, in qua populus innascitur bellicus, qui gubernari possit & gubernare secundum leges & æquitatem. Hæc Aristotelis solutio est, in qua non immerito hæc desideres, primò quod non explicet, quomodo illa aptitudo in civibus sit cognoscenda, secundo, quod pro certo ponit, de quo tamen non sine causa quis dubitet: Annon multi populi æque ad Regiam, Aristocraticam, Democraticam vel etiam mixtam gubernationis formam apti sint? Quod si supponamus, dicendum videtur, quod ex simplicibus quidem formis Democratia sit utilissima Respublica: Ex mixtis vero & in genere, optima sit Democratia mixta cum Regno. Verumenimvero hæc copiosam magis & plenioram dissertationem postulant, quam ut hoc loco pro dignitate tractari possint, & explicari. Incommoda tamen, quibus singulæ simplices laborant formæ, utile est ante oculos sibi proponere. Sunt autem hæc.

#### *Incommoda Regiæ potestatis absoluta.*

1. **F**acile abit in tyrannum is, qui antea bonus Rex erat. Namque à virtute ad vitia facilis lapsus, & ad proprium commodum naturã homines magis respiciunt. Historiæ suppeditant exempla magno numero.
2. Ab adulatoribus & Consiliariis facile immutatur.
3. Invidiosa est talis potestas unius. Quia enim alii existere possunt vel magis vel æquè saltem virtuosius, illi detrectant imperium, & inde rebellio, & bella, laniatione hominum.
4. Unus non sufficit omnibus Reipublicæ negotiis administrandis, per ministros autem, quia hi plerunque & negligentes & avari, aliisve vitiis laborant, non sine injuria civium expediuntur. Id ex crebris Hispanorum, Gallorum atque aliarum gentium sub regia potestate viventium querelis satis superque constat.
5. Subditi de possessionibus suis atque opibus nunquam certi esse possunt, sed in continuo versantur metu, ne delati sint falso apud Regem.
6. Liberi Regum sæpe degenerant à paternis virtutibus. Unde electitium regnum magis est secundum rationem rectam, hæreditarium non item, sed ideo justum censetur, quia supponitur id,

id, quod sæpe falsum est, nempe hæredes regni paterni esse etiam hæredes paternarum Virtutum.

#### *Incommoda Aristocratia.*

1. **Q**uod plerunque in consiliis capiendis dissentiunt, unde rixæ, simultates, & alia mala.
2. Quod consilia contra hostes facile his innotescunt, unde ea eventu felici destituuntur. Id Belgæ foederati in bello contra Hispanum experti sunt sæpissime, nec dissimulavit hoc Princeps Arausionum, cum de expugnanda Sylva ducis animo voveret consilium. Ità cum aliquoties instructissimas classes miserint per fretum Magellanicum & huic vicinum ad expugnandum aureum regnum Peru, quod Hispanus possidet, vel saltem ad infringendam Hispanicarum opum in America potentiam, nihil effectum est, quoniam Hispanis diu ante innotuerat navium adventus & ideo littora & castella firmis præfidiis munita erant.
3. Quod multi multos habent cognatos & amicos, quos ad dignitates evehere, lautis muneribus ornare satagunt, quæ res aliorum animos irritat, unde seditiones & bella.
4. Quod unus vel alter ex illis facile donis & largitionibus corumpuntur, quoniam non æquales possident divitias.

#### *Incommoda Democratia.*

- D**uo illa cum Aristocratia habent communia incommoda quæ primo & secundo loco posita sunt.
3. Et quia multi egeni & pauperes, in Republica, ideo donis corumpuntur plurimi & spe divitiarum ad injusta impelluntur, unde variæ molitiones. Namque vota sua vendunt iis à quibus opes sperant. Exempla qui cupit, is Romanam legat Historiam, ubi affatim ea reperiet.
  4. Destituuntur prudentiã & intelligentiã, qualis ad gubernationem & eligendos magistratus requiritur: itaque sæpe indignos dignis, præferunt.
  5. Admodum indulgent affectibus, quos regere impotentes sunt, facile quoque Oratione impelluntur ad inhonesta vel ea, quæ cum damno Reip. sunt conjuncta. Exempla ex Atheniensium Reipubl. petantur & Romanorum.
  6. Minus quoque obedientes sunt magistratui quem elegerunt, cum à se profectam illam autoritatem & sibi licere eam in alios conferre existiment. Itaque ubi tributa indicuntur, vel vestigia mercibus imponuntur, & ubi rem militarem eã, quã decet, industria tractare